VII-E-8

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XVII
E
8
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

PRINCIPIORUM

LEGIS NATURALIS

TRADITIONE.

Digitized by Google

Ciceronis Hortenſius contra Philoſophiam differens, circumvenitur arguta concluſione; quod cum dicat philoſophandum non eſſe, nihilominus philoſophari videbatur: quoniam Philoſophi eſt, quid in vita faciendum, vel non faciendum ſit, diſputare. Nos ab hac calumnia immunes ac liberi ſumus, qui Philoſophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inventio eſt; Sophiam defendimus, quia divina traditio eſt; eamque ab omnibus ſuſcipi oportere teſtamur.


L. Cælius Lactantius Firmianus Libro divinarum Inſtitutionum III. Cap. 16.

Digitized by Google



Digitized by Google

P. CASTI INNOCENTIS
ANSALDI O. P.
DE
PRINCIPIORUM LEGIS NATURALIS
TRADITIONE
AD
CAROLUM POLINUM
S. MARTINI ABBATEM
LIBRI III.



MEDIOLANI, MDCCXLII.

In Regia Curia, apud Joſephum Richinum Malateſtam
Regium Ducalemque Typographum.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

ANGELO MARIÆ QUIRINO,

S. R. E.

PRESBYTERO CARDINALI,

Tituli Sanĉti Marci,

PRÆFECTO BIBLIOTHECÆ APOSTOLICÆ,

ET

SACRÆ CONGREGATIONI INDICIS,

ARCHIEPISCOPO EPISCOPO

BRIXIÆ &c. &c.

CAROLUS POLINUS

F.

NIhil eſt ſanĉtius & antiquius edentibus librum aliquem auſpicato, quam rationes bene multas congerere, at plerumque vel accerſitas longe, vel contra e trivio petitas, quibus videantur, neminem ab illo, quo auſpicari volunt, alium ſive ſibi, ſive rei ſuæ patronum adoptare com-

Digitized by Google

commodius potuiſſe. Moleſtum hoc argumenti genus, quo uno ferme omnes ad faſtidium uſque cum legentes, tum & maxime Auſpices ipſos præclariſſimos fatigant, TU, PRINCEPS EMINENTISSIME, a litteris clientum Tuorum penitus ſuſtuliſti, qui virtute, ſapientia atque amplitudine Tua plane ſingulari jam nunc aſſecutus es, ut nullus ſit Studiorum, & Studioſorum ordo, qui ſe Tibi ultro non ſiſtat, & certis nominibus ad Te pertinere in fronte non præferat: Te nanque Philoſophi, licet præfati nihil, adire poſſunt, quod nempe convenit inter omnes, QUIRINUM non Philoſophiæ ſolum, ſed Mathematum uſque eo callentiſſimum eſſe, ut vix quartum ſupra viceſimum annum emenſus, Euclidem ipſum in quæſtionem vocaverit, atque illius Elementa Algorithmico more digeſſerit. Ad Te Eruditi conſtanter accedunt, quod ſcilicet quiſque infinitam propemodum Eruditionem Tuam exploratam habeat illorum judicio, qui libros Tuos de veteribus Græciæ Orthodoxæ officiis, de Monaſtice Italica, de annis Patriarcharum ante diluvianorum, & poſt diluvianorum ex collatione Codicum Hebraici Samaritici & Græci paullo diligentius

tius

tius volutarunt ; atque in illis partim exquiſitam tum Cœnobiticæ tum Ævi Medii hiſtoriæ notitiam, partim non vulgarem Sacrarum Legum antiquitatem, partim denique accuratam in Chronologicis nexibus diſſolvendis rationem ſunt admirati : reconditam etiam Linguarum præſertim Orientalium peritiam in Te cognoſcant illorum teſtimonio, qui domeſticum Bibliorum exemplar, Scholiis Hebraicis a Te conſcribillatum totum, viderunt, atque egregiam Tuam de Hiſtoriæ Moſaicæ præſtantia Orationem legerunt : Græcanica vero ſcientia Tua comperta ſit omnibus, tum ex eruditiſſimo *de Primordiis Corcyræ* Volumine, in quo tot Scriptoribus inter ſe conciliatis, totque nuperis primique Subſellii interpretibus vel fraudis vel negligentiæ poſtulatis, Gentis illius interiora & reconditiora complexus es; tum præcipue ex ipſa Crocyreorum mira plane erga Te Archiepiſcopum olim ſuum voluntate, quem cum primum ſcientem Græce, & diſertiſſime e ſuperiore loco Græce perorantem audierunt, veterum pene ſimultatum viſi ſunt oblivíſci; & nobis etſi de Sacerdotii primatu infenſi pertinaciter atque infeſti, ſiverunt nihilominus, Te, in

b Ec-

Eccleſiam ſuam S. Spiridionis Maximam cum Magiſtratu deductum, loco præcedere Antiſtitem Græcum; Tibique non modo nullam de jure dicundo controverſiam excitarunt, verum etiam ſuper Clericis initiandis aſſenſionem Tuam eſſe petendam firmiter decreverunt. Tuum quoque Theologi præſidium ſibi comparare jure ac merito debent, quod videlicet de facultate iſta optime meritus ſis, non tam Monachus, apud tuos Florentiæ olim luculentiſſimus ejus interpres, atque adverſus tetricam & triſtem nonnullorum elapſi Sæculi diſciplinam vindex acerrimus; ſed multo magis Epiſcopus & Cardinalis, cum Theologiæ ſplendorem & decus ampliſſimum addidiſti, curandis Magiſtrorum ejus Eccleſiæ Patrum nitidis laborioſiſque Editionibus, quatuor nimirum Veterum Antiſtitum Brixiæ, & Sanctiſſimi Viri ac Prophetæ Ephremi, quem per Te, primo Syriace Græce & Latine ſimul & ſumme dicentem legerent, typiſque non modo elegantiſſimis ſubductum deberent Tibi, ſed ubere quoque & ſalutari doctrina manantem, e cujus fonte, obſtructis aliquando, quibus non ita pridem Theologia inſorduerat, lacunis, Dei majeſtate digna, atque

Ec-

Eccleſiaſtica autoritate fulta pronunciata deducerent. Verum enim vero Scriptores omnes, ut appareant in nomine Tuo, illam habent cum primis, in qua ſe ſolent tanquam in orbe ſuo jactare, magnificentiam, ad quam deductus, præeunte Natura ipſa QUIRINORUM, qui in magna gloria & opibus ſemper fuere, viam ſtraviſti patentem Tibi ad innumera innumeris beneficia conferenda. In quam porro rem non erit opus verbis, cum nihil Tibi deliberatius fuiſſe quicquam Sacrarum Ædium dignitate, non unum aut alterum extans argumentum confirmet, ſed novem ipſæ Eccleſiæ moneant, aliis, atque aliis in Urbibus Italiæ ſitæ, quas cum Marmoreis aris pretioſiſſimis, vel Tabulis politiſſimis, vel utriſque donaſti, atque effuſis multis liberalitatis Tuæ monumentis conſecraſti. Nulli fidem Tuam, nulli operam, nulli rem familiarem defuiſſe clament pauperes Romani ac noſtrates, quos, fucum averſatus, clam per publicos curatores levas inopia, atque egregio prorſus charitatis facinore heredes pene ex aſſe libero feciſti; Sacræ Virgines Darſenſes, Saleſii filiæ, ad quas univerſos Camunii Ducatus proventus, quoad Tibi Epiſcopo obvenerint, derivaſti;

Seminarii alumni tum Vangadiciæ, ubi Abas es, tum Brixiæ, quorum prioribus amplum & commodum domicilium Tuis ſumtibus extruxiſti; aliorum vero Bibliothecam electiſſimis ac peregrinis operibus locupletaſti; Tua ipſa Congregatio Caſſinenſis, cui, perinde ac non ſatis donorum in Te uno largitus eſſes, perpetua inſuper *Commendæ* S. Andreæ de Buſco acceſſio Litteris Apoſtolicis per Te facta fuit, eidemque ſingulis annis certam erogas pecuniam, advenis ad Sublacenſem ſpecum confluentibus diſtribuendam; Vaticana poſtremo loco Bibliotheca, cujus non modo ſpatiis laxandis autor fuiſti, ſed dignitatem & copiam, tum omnibus Tuis, iiſque probatiſſimis libris, in eam donatione vivorum irrevocabili importatis, tum etiam ſorte non levi, ad illam augendam fenori data, procuraſti. Hæc & alia non pauca, præcipue de Palatiis domeſticis, ubicunque jure degis, a Te vel exquiſite refectis, vel a ſolo erectis, quorum tamen parce admodum meminiſſe oporteret, quod videlicet Tua ſint atque adeo mentionis haud ferendæ Tibi, qui nihil aliud ſpectas, quam quod e re aliorum eſſe videatur: hæc inquam, PRINCEPS EMINENTISSIME, in cauſſa eſſe poſſent,

cur

cur Autores omnes per ſe ac ſua ſponte adſciſcerent Te ſibi Patronum tam munificum ac liberalem, qui pro hac Tua exaggeratione animi quam altiſſima illos complectereris, omnique officiorum genere devincires.

Atqui hæc univerſa obſoleverunt nobis in præſentia. Mira iſta & ſumma ſemper eſſent, præter quam in Te uno, qui eo tandem virtutis ſapientiæ ac rerum geſtarum præſtantia contendiſti, ut quæcunque antehac eminerent in Te, vel ſui, ut fit, aſſiduitate viluerint, vel aliis clarioribus obruta minus luceant. Hinc eſt, neminem laborare, ut perſequatur, quamobrem in Tuo præ ceteris nomine acquieſcat; remque exhauſiſſe putat, ubi dixerit, Te iccirco habere æquiſſimum Studiorum ſuorum æſtimatorem & judicem, quod videlicet hujuſmodi ab omnibus habearis, quod Europam jam omnem impleveris fama Tua; & quod cunctorum linguis & litteris, QUIRINUM celebrantibus, in omen pene venerit, tanto Viro minime adjunctum eſſe. Porro ſi hæc de quibuſvis editoribus exteris ita ſe habent, quid erit, cur homo Brixianus, iſque Eccleſiaſtico addictus ordini, ulterius inſiſtat in mo-

men-

mentis nuncupandi Tibi volumen iſtud, cum ſinguli Patriæ noſtræ Cives plura Tibi debeant, quam comprehendere & ſignificare tituli poſſint? Vereor contra, ne non muneris hujus Tibi deferendi rationes mihi potius redundent, quam deſint, atque illarum gravitati & copiæ munuſculum meum nihil admodum reſpondeat. Et ſane ſi quando colligebam mecum, quis eſſes, qui ſim ego, pudor ſemper & conſcientia deterruere, ne Tibi me vel ſcriptis maxime commendarem, atque ambitione quadam viderer commendationem tantam exequare. Sed cum perpetuis me cumulare beneficiis non deſtiteris, verecundiam primo excutere cœpi; cum autem inſigne quoddam liberalis erga me benevolentiæ teſtimonium nuperrime ac ultro contuleris, tum venit in mentem mihi Ciceronis illud. (*) *Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem*. Animos addidit libri hujus argumentum, quod in mediocri volumine grande eſt, atque unum majeſtatem Tuam proxime attingit. Videbar enim videre Te, in ipſo titulo hærentem, plane capi, & pro ea, qua es ingenii celeritate atque acie, jam

inde

(*) *Ep. ad Fam. l. 5. 12.*

Digitized by Google

inde cognoſcere, quanta hoc in opere moveat Cl. Autor, neque fieri poſſe, quin Supera omnia media & infera cum naturæ tum religionis novo certe ordine miſceat, & magna cum ſarcina reconditæ eruditionis in medium prodeat. Acceſſerunt egregia ipſa Autoris merita, quibus abs Te ſingularem gratiam inivit, alio Tibi ejus opere inſcripto, Tuiſque in eum honorificentiſſimis officiis apud omnes conſtantem. Ceterum niſi tria hæc ancipitem me in propoſito continuiſſent, profecto non committerem, ut auſum iſtud nota temeritatis a cordatis hominibus inureretur. Noſtri præ aliis obſtreperent mihi, Brixiam & Brixianos immortalitate donare *Cardinalis* meritiſſimi nomen ſimulacris quidem multis, partim elatis, partim in aliud tempus decretis, atque Inſcriptionibus publicis, Septemvirali autoritate ære inciſis, non vero minoris notæ Epiſtolis & Libellis. Digitum intenderent ad magnificentiſſimam Sacram Ædem primariam, per Te aſſiduis pluribuſque operis conductis propere ſuccreſcentem; & non modo Sacello, quod ajunt, maximo abſolutam, non immanibus tantum octo columnis, majori teſtudini ſuſtentandæ firmatam, non parte cameræ auctam, non

ſor-

fornicibus ſolum , prominente extyporum artificio elaboratis , innixam ; ſed ipſam ditiſſimi ædificii lapideam frontem in ſublime jamdiu erigentem : & ſciſcitarentur , quid opellæ huic cum divino illo beneficio , quod Tullii verbis (*) *vigebit memoria ſæculorum , quodque poſteritas alet , & ipſa æternitas ſemper tuebitur* . Beneficium , inquam , divinum , quippe in eo Deum ducem ſecutus , qui exitum ſecundo omine portendit , divino prorſus more Te geſſiſti , qui habita in perditis & deſperatis excitare repente ſolet : non ſecus atque Tu adumbrationem incredibilis plane molis , ætatem jam Ævi ferentem , ac ſeneſcentem miſere in partibus quibuſdam divulſis , cum primum vidiſti , inductus es in ſpem fore , ut reviviſceret , manum & conſilium rei ſtatim admoviſti ; & certantibus in Te de laude progreſſus largitionibus auri profuſis , ſolertiſſimis artibus , hortatu , autoritate , diutinam contentionem relaxabis nunquam , donec Templo , inter Europæ celeberrimos recenſendo , faſtigium imponas ; niſi ſi vel dies ſuprema , quod infandum , tot conatibus intercedat , vel dignitas ſuprema , quod optandum , Tibi con-

(*) *Orat. pro Marc.* 29.

conferat, rem poſſe perficere ſine conatu. Haud etenim nos præterit, Te non unius Civitatis, ſed Mundi totius commodis natum eſſe; neque ſine jactura intoleranda poſſe, ſapientiam virtutemque prope infinitam Brixiæ finibus circumſcribi. Interea ademimus metum omnem, ita impendere nobis graviſſimam migrationem Tuam, ac rumor diuturnus moleſtuſque pertulerat. Satis ſuperque hactenus ſemel & iterum hoc timore perculſi ſumus, cum tribus ab hinc annis, tum hoc ipſo vertente. O utinam, PRINCEPS EMINENTISSIME, fieri potuiſſet, Te inter nos verſari eo tempore, dum lethali affectus morbo Romæ decumbebas; ut late vidiſſes angoris & mœroris noſtri argumenta teſtatiſſima. Quod ſi diſſitæ regionis intervallo longe abfuit ab oculis Tuis dolor ille noſter, ob oculos tamen aperte poſitus eſt recens alius, a quo confecti diu, paullo ante cœpimus reſpirare. Exierat nanque in turbam, quod re deinceps probatum eſt, BENEDICTUM XIV., noviſſime renunciatum, Romæ Te velle aſſeſſorem ſibi, pollicitationibus haud parcere, quibus te flecteret, Sacræ Indicis Congregationis Præfecturam detuliſſe continuo, Eccleſiamque Al-

banenſem, ex ampliſſimis *Cardinalium* Epiſcoporum titulis, unam, offerre annuenti: Hæc dum recolo, percuntare ipſe Te, P. E., quam anxios nos, quam ſollicitos tenebat, tandiu pendere animi, quo demum caſura res eſſet. Tu ſingulorum ſtudia introſpexiſti, ambigentium, num Sponſæ hujus Tui flagrantiſſimæ mutuus amor, aut Bibliothecæ Apoſtolicæ futura vicinitas ad ſe raperent cunctantem; nonne lamentabilibus gemitibus noſtris non audiendis, ſed exaudiendis obſtarent humaniſſima Summi Pontificis officia, apud quem tam gratia vales, quam qui maxime. Interim Tu præſenti animo & forti vir, non adumbratam imaginem gloriæ, ſed eminentem profecto virtutis effigiem conſectatus, Brixianam Sponſam Romæ orbis terrarum dominæ antetuliſti, excellentiorum inſignia dignitatum præ laboribus Epiſcopi minoris feciſti; quodque in Te admirabilius dixerim, litteratiſſimi Principis ornamentum ſolatium ac ſubſidium pene unicum in Bibliothecæ Apoſtolicæ procuratione voluntario potius diſcrimini objicere voluiſti, quam Brixiæ tuæ expectationi commodis utilitati deeſſe. Quo in loco mihi per Te liceat, P. E., illud Livii de Numa Pompilio ex-

cla-

clamare : (1) *O venerabilem virum miraculo litterarum* ! Inſtar miraculi nanque in litteris habeo, hominem, tam inexhauſta illarum cupiditate incenſum , ut quod de M. Catone , (2) in Bibliotheca Luculli , ſedente , Cicero ait : *belluari libris* videatur ; tamen ſi optio ejus fuiſſet, utram mallet, vel principis totius Eccleſiæ Bibliothecæ , vel Eccleſiæ Brixianæ adminiſtrationem , promtum ſe & alacrem, datis ultro ad Pontificem editiſque Epiſtolis, dixiſſe , ab illa potius , quam ab iſta vacare.

Non me quidem fugit, alia Te plurima in litteris colendis præſtare , quæ miraculi ſpeciem referant. An non prodigium litterarium redolet , Te ipſo in Romano itinere, dum rheda veheris , eruditis commentationibus incumbere ; ac non modo Ciceronis exemplo , (3) tum elegantiſſimas meditari Epiſtolas ad Cardinalem immortalitate dignum Fleurium , alium ſane Atticum ætatis noſtræ , quem honoris cauſſa nomino , ſed ſingularum etiam ſtationum tempore meditata ſtatim litteris tradere , atque hoſpitia

C 2 ipſa

(1) *Livius l. 1. Hiſt. c. 7.*
(2) *Cic. 3. de Fin 2.*
(3) *L. 5. ad Atticum Ep. 17.*

ipſa more Varroniano, (*) reddere *Studiorum Tuorum diverſoria*? Annon prodigio ſimile erit, contractioribus noctibus, ferventibuſque diebus, multo vero magis ferventibus Comitiis Pontificiis, tantum otii & firmitatis nanciſci, ut Vaticanis cellulis incluſus, & omnium maximo negotio diſtentus, potueris, eruditiſſimas Pauli II. vindicias adornare: inter inita Pontificis novi ſuffragia pro vetuſti alterius fama ſuffragium ferre; unaque Pontificatus integritatem, Civis Tui honorem, Reipublicæ noſtræ, & Typographiæ Romanæ, per ipſum propagatæ, decus ex intimo antiquitatis penu depromere & ſuſtinere? Eccquis litteratorum oſtentis non adſcribat, QUIRINUM, præ amore ſapientiæ contra ſtudia naturæ tam vehementer obduraſſe, ut nulli ferme honeſtiſſimo indulgeat genio, nullius conſuetudinem foveat, niſi Eccleſiæ vel litterarum bono; & pro virtute animi ſui nihil habentis proni, ſed ſupera ſemper petentis, tresdecim jam annos haud Venetias ad ſuos inviſendos diverterit, licet illuc, Romam profecturus, admodum accedat; ruſticatum ipſum tam parce adhibeat, ut nunquam hactenus in San-

(*) *Cic.* 2. *in Anton.* 104.

Sanĉti Euſtachii ſuburbano, per eum cultiſſimo, pernoctaverit; frugi omnino ac ſevera vita utatur, parumque adeo temporis ſomno tribuat, ut experrectus adhuc obducta nocte, culcitram deſerat, & pluteo adhærens, lucubret ad multam diem? Cui denique mirum non videatur, quod fidem pene ſuperat, Eum tot privatis Studiis nihil de opera publica detrahere, ſed horas tantummodo ſubceſſivas, gerendiſque negotiis, audiendiſque populis minus accommodatas arripere, quas in litteris traducat? Cetera tam impigrum ſtrenuum amore flagrantem & contentione aſſiduum Epiſcopum ſe præbeat, ut de aſperioribus quibuſque vaſtiſſimæ Diœceſis partibus luſtrandis, deque revocandis ad officium, ſi quæ dilapſa fluxere, nemini concedat; in præmiis autem large tribuendis, in malis ſupplicio ſalutari mulctandis, in Sacris Pontificiis factitandis, in conſcribendis Epiſtolis Paſtoralibus, atque Homiliis e loco ſolemni recitandis, ſanctitate & doctrina refertiſſimis, in ſui tandem exemplo ad omnem virtutem compoſito, multos etiam prætergrediatur.

Ac ne quis exiſtimet, me ampullas projicere, dum prodigii loco vendito, tantæ

ſol-

ſollicitudinis Epiſcopum , ſepoſitum tamen habere tempus ad graviores politioreſque diſciplinas vorandas , non diſſimulo , id fieri citra prodigium poſſe , ſi ea in QUIRINO Studiorum exercitatio eſſet , quæ laxamenti vices obtineret, ut cuique occupatiſſimo moris eſt. At enim referamus animum ad ea, quæ molitur ille feriatis ab Epiſcopali munere temporibus, ac præſertim meridiationibus , omnium judicio cuicumque attentioni animi prorſus ineptis. Percurramus primam & alteram Operis ejus partem *de Brixiana litteratura* , ut in Apoſtoli Zeni , aliorumque Virorum Clariſſimorum ſententiam deſcendere poſſimus, qui diſertis litteris tradiderunt , nihil ſe jampridem legiſſe præſtantius & accuratius volumine illo ; nova omnino in lucem educi , novum Operis inventum eſſe , nova uti partium ſtructura , novamque Brixianorum gloriæ fieri acceſſionem: quamplurimos ex his Scriptores ab inſtauratis litteris florentes, atque hactenus in communi fere ignoratione verſatos , ad meritam nominis famam caput extuliſſe ; Italicæ typographiæ hiſtoriam rariſſimis editionibus , pulcherrimis factis , incorruptæque Critices ope propagari : verbo dicam , eruditiſſimos

in-

ingenue fateri, ſe ab homine curis omnibus vacuo, & divino prope ingenio præſtante, diſcere melius haud potuiſſe, quam eſſent in hiſtoria litteraria Provinciæ hujus hoſpites & peregrini, & qua impoſterum ratione Studiorum iſtorum alea ſit ſubeunda. Hæc nimirum ſingularis eſt, P. E., atque inſignis librorum Tuorum nota, ut doctiſſimos doceant; & vel ordine præclaro, vel novis excogitatis, vel erutis abditiſſimis rebus, exemplum aliis ducemque Te præbeas. Qua de re ſit inſtar omnium meminiſſe Epiſtolarum Viri Summi FRANCISCI BARBARI, nunquam ſine præfatione laudis nominandi, quæ jamdudum in Litterariæ Reipublicæ votis erant, ſed nondum ad votum emerſerant. Te ſcilicet manebat, Bibliothecarum omnium angulos pertentare, donec operoſis perquiſitionibus collecta centena illarum aliqua, excuſſoque trium Sæculorum pulvere & ſitu, optatiſſima primum luce & cedro donares. Luce quidem, & cedro, cum in edendis minime ſiſtens, illis illuſtrandis totus inſtitiſti, & prope diem manabit in vulgus non Venetus modo Senator, belli & pacis artibus inſtructiſſimus, Romana prorſus ore fundens, quales

Tul-

Tullius poſcit, (*) argutas ad delectandum, acutas ad docendum, ad commovendum graves ſententias, aſſurgenſque ad divina ipſa, ultra quam togati, & ſagati hominis eſſe potuiſſe videatur: Sed prodibit Diatriba quoque Tua illis præpoſita juſti plane voluminis mole, in qua non tam quidquid res a Barbaro geſtas attingit, fuſe & diligenter perſequeris, verum oblata eorum, quæ ultro citroque Epiſtolis geruntur, occaſione, illius Ævi hiſtoriam elegantem, at ſubobſcuram, nec pro dignitate diſcuſſam, critice & copioſe texis. Quod laudabile facinus nemo non videt, mirifice probatum iri Reipublicæ noſtræ, quam in Patricio ſuo nunc tantopere extollis; quemadmodum ipſi gratiſſima ſemper filii obſequentis officia, præſertim Romæ olim difficillimis temporibus ejus adminiſter, perſolviſti; & Senatui Orbis terrarum prudentiſſimo prudentiam Tuam plane Venetam probaſti, qua cuncta odoraris proſpicis, cauſſæque ſuæ facis inſervire. Iiſdem Barbari Epiſtolis nos item Brixiani perſpectum habemus, quam gerere morem nobis volueris: complectuntur quippe teſtimonia locupletiſſima fidei temperantiæ belli-

cæ-

(*) *De opt. gen. Or. 5.*

Digitized by Google

cæque virtutis Civium noſtrorum in obſidione Brixiæ celeberrima ſub Nicolao Picenino, Imperatore exercitus Philippi Ducis Mediolanenſis, cui ſuſtinendæ præfectus fuit Barbarus noſter, atque ob navatam ſane ſtrenue & fortiter operam tuam in tanto Urbis noſtræ diſcrimine, Patris Patriæ nomen adeptus eſt.

Ut in eodem igitur deſinat Epiſtola mea, unde proceſſit, pudet me, PRINCEPS EMINENTISSIME, Civitatis unum, tot beneficiis a Te cumulatæ, levidenſi hoc munere novum Tibi grati animi atque obſervantiæ noſtræ ſpecimen dare. Pudet exiguum vocis meæ teſtimonium reddere Tibi, qui jamdiu aſſuetus es laudibus præſtantium Virorum; & jam inde a ſuſcepta illa Tua, eruditionis ergo, peregrinatione quadrienni per illuſtriora Europæ regna, hauſiſti æterna preconia a ſapientiſſimis omnibus & nobiliſſimis, quos plurima Tibi neceſſitudine conjunxiſti: Romæ autem tribus Pontificibus Summis, ceteriſque ejus Aulæ proceribus inter difficiliores Congregationum conſultationes tam ſpectatus fuiſti, ut in ampliſſimum S. R. E. *Cardinalium* ordinem Te paullo poſt non irrepſiſſe, ſe veniſſe fateren-

tur. Ne tamen penitus deſpondeam animum, facit ſuaviſſima humanitas Tua, ipſo ductu oris ſignificata, & vivendi conſuetudine confirmata, qua ſoles majeſtatem temperare, cunctoſque mulcere allicere, atque arctiſſimis Tibi benevolentiæ vinculis obſtringere. Hanc virtutem, quæſo, converte ad voluntates hominum Autori Operis, mihique captandas, qui non valde reputamus, quibus viribus, ſed quibus auſpiciis id fiat. Ego ſane ſpe optima confirmatus, fore, ut liberale de nobis judicium Tuum ſit prærogativa, quam univerſa Litteratorum Reſpublica centuriis cunctis ſequatur; id unum habeo reliquum in optatis, Te quam diutiſſime frui cum fortuna & gloria, tum ſapientia & moribus Tuis; totque a Deo Opt. Max. inſtructum ſubſidiis ſic agere, ut ea præſtans, quæ nemo præter Te, omnium aliquando Sæculorum, omniſque memoriæ facile princeps evadas.

Brixia VIII. Calendas Septembres.

LE-

Digitized by Google

LECTORI,
NATURÆ ET RELIGIONIS
STUDIOSO
CAROLUS POLINUS
ABBAS SANCTI MARTINI.

QUid iſtuc Operis ſit, quidque mea interſit, ut prodeat in lucem, præſtat monere, TE LECTOR BENEVOLE. Exordium porro capiam a parte altera, tum quod magis illabatur ad Legentium animos, eoſque ſollicitet, noſſe rationem ſuſcepti negotii; tum etiam quod hujus cognitio ſponte nos ad Operis explicationem traducat. Cum itaque Autumnalis anni præteriti ruſticatio me, Calviſani agentem, in familiarem AUTORIS conſuetudinem penitus immerſiſſet, frequenteſque & jucundæ inter nos eſſent antemeridianæ ſeſſiones, pomeridianæ ambulationes, nec non crebra de divinis humaniſque rebus colloquia; in eum ſermonem aliquando delapſi ſumus,

Digitized by Google

ut graviter quereremur, unde contingat, homines benemultos, & quidem non rudes & imperitos, ſed ad multiplicem eruditionem atque elegantiam excultos, de Societatis humanæ vi & jure ancipites eſſe; nutare ſæpius in dignoſcendo, ſi qua ſint neceſſaria officiorum noſtrorum præcepta; Legum capita prima non ab æterna Dei voluntate, ſed a callido prudentum ingenio repetere; inficiari nonnunquam apertiſſimas virtutum vitiorumque notiones; & convulſa pene univerſa vitæ degendæ rerumque gerendarum doctrina, in id videri eos præcipue conniti, ut igniculos ipſos idoneæ naturæ, qui veritati ſemper in nobis prælucent, non modo malis moribus, ut ait Cicero, (*) verum ingenioſis etiam artibus, & pertinaci meditatione reſtinguant. Quæ ſane meditationes, quamvis haud raro non cogitata ſapientum dicendæ eſſent, ſed optata furioſorum, in eo nervos induſtriæ omnes contendentium, ut Supremum Dominum & Legislatorem, cervicibus ſuis impendentem, inde repellant; ac deinceps res ſuas unius voluptatis utilitatiſque calculis ſubductis inire poſſint: ne tamen initio ipſo diſputandi raperemur in invidiam,

ultro

(*) 3. Tuſculan. ſub initium.

ultro ferebatur uterque noſtrum, ut hanc auribus animiſque abſurdam judicandi deformitatem ad cauſſas alias vel conjecturas revocaret. Succurrit continuo deplorare veterem querelam de mentis noſtræ calamitate atque acie prorſus obtuſa, quæ non ſemel ipſo veritatis ſplendore perſtringitur, & oculorum inſtar, nimia plerumque luce laborat. Quemadmodum etenim Sol, ipſe fons lucis, ut cuncta alia perſpicue cernas, admodum prodeſt; ſi tamen in illum oculos intendas diu, admodum nocet, ne cum ipſum, tum cetera videre optime poſſis: non multo aliter prima fundamenta Legum, quippe fontes veritatis, ſi referas ad alia cognoſcenda, lumen veluti ſuum rebus omnibus porrigunt & tendunt, quo illuſtrentur magis; ſi contra in iiſdem fundamentis inveſtigandis totus inſiſtas, vel ſimplicitate ſui fugiunt obtutum, vel copia lucis afficiunt ita, ut quaſi per caliginem rebus clariſſimis tenebras obducant. Revera tamen id omnibus minime accidere animadvertimus, ſed iis duntaxat, qui Principia Juris Naturæ nudis, ut ita dicam, oculis introſpiciunt., atque adjumentis in rem hanc comparatis uti negant: non ſecus atque, ut in eodem ſimili verſer, ii tantum redundan-

tia

tia fulgentis Solis obcæcantur, qui patentem viſum in adverſos ejus radios infigunt, cum ceteri, qui ſubſidia oculorum conſpicillis ex arte muniunt, minutiſſima illius aſtri quæque commode diſpiciant.

Pergebat hinc diſputatio noſtra ordine recenſere genera adjumentorum, quæ ad hujuſmodi ſcrutanda Principia ſunt hactenus a præclariſſimis Doctoribns allata. Primas dederunt omnes animo noſtro, qui in rem confert, ut nihil magis, ſi ſit probe inſtitutus, partium ſtudio vacuus, ſingulari virtute præditus, atque ad pendendas cauſſas ex veritate, non ex libidine, integerrime factus. Secundas plerique, deferunt Philoſophiæ, nullumque exiſtimant iſti pronunciatum eſſe, rectam agendi normam, hominumque communionem attingens, quod ab intimæ facultatis hujus initiis non proficiſcatur. Tertias denique partes, immo omnes, non pauci tribuere ſolent divine Legi, perinde ac iſta Naturæ univerſæ luminibus obſtruat, atque adeo documenta Diſciplinæ Moralis omnia ad illam unam amuſſim ſint exigenda. Vias iſtas, aut proximas iſtis, videbantur nobis ingreſſi quotquot ad ſtatuenda Legis naturalis capita ſumma, vel hæc a pravæ libertatis amatoribus

bus vindicanda , operam ſuam contulerunt . Atqui adbuc in limine ſumus , Anſalde mi, urgebam ego . Quorſum evaſerint tot præſtantiſſimorum Scriptorum contentiones omnino neſcio, cum ſatis aperte conſtet, quam ſe mutuo totis voluminibus petant Autores iſti, quam alter alterius improbet rationem docendi Legum originem, eamque putat ineptam, ut propoſitum undique conficiat : interea perſtant nibilominus in incœptis ſubridentes adverſarii , atque ex bac ipſa noſtra ſentiendi varietate anſam affirmandi ſumunt , ſuper bac re liquere nibil, opinionibus & inſtitutis teneri omnia ; nullumque veritati locum relinqui . Hic rurſus inſtaurata eſt Diſputatio , vimque convertit omnem ad excutiendum , ſicubi offendant viæ & rationes omnes , quibus ad banc diem Scientia Legis naturalis tradita eſt. Qua in re non commemoravimus illos, qui de Legibus non cum ea parte animi, in qua ineſt conſilium, ſed cum cupiditate deliberant. In promtu nanque eſt, cur iſtis imperia quælibet Naturæ diſpliceant. Da ſcilicet mibi bominem , qui ex vitæ genere, ut ait Tulius, (*) oſtendat, ſe virtutis cauſſa, niſi ea voluptatem, aut quæſtum,

ac-

(*) 5. de Finibus 93.

acciret, ne manum quidem verſurum, *non mirabor, huic ſenſim tacere leges omnes, & ratum haud ægre fore, eas eſſe hominum pura puta commenta; tum quod venerit in conſuetudinem id cogitandi atque expetendi, tum & maxime quod animus, illecebris undique delinitus, morem aliquando ſenſibus gerat. Verum non omnes tam perdite in Leges præjudicati ſunt, & male animati, quibus tamen nondum placet, ſuper illarum primordiis vel ad Philoſophiæ placita, vel ad myſteria Religionis appellare.*

Huc nos cum diſputationis æſtus ſuo quaſi pede deduxerit, tum ad præcipuæ rei dimicationem ventum eſt. Bene habet, inquit Anſaldus, ab his ne quidem ego tota ſententia diſſentire poſſum; immo ſi otium eſt, attende, quo ſerpat quædam mea conjectatio ſuper modis iſtis efferendi prima Inſtituta Juris Naturæ. Vix autem reſpondi, nihil mihi gratius futurum, tum ille rimari ambitu longo qui fiat, Philoſophos deficere multis in hac inquiſitione. Id propterea eſſe, quod ſi de veteribus loquamur, careant illa conſtructione doctrinæ, quam Syſtema *vocant. Non eſſe ſatis, præclare dixiſſe de moribus quibuſdam, cauſſas quoque illorum aliquas*

&

& fortaſſe probabiles attuliſſe : manare latius diſciplinam Vitæ Moralis : hanc partibus quidem ſtare ſuis , ſed complexione tota corruere , niſi fundamenta jacias , quibus æque nitatur , undecumque illam ſpectes ; niſi quælibet objecta ipſi ad cognoſcendum in punctum veluti unum deſinant , a quo ad ambitum æquales lineæ ducantur . Quotus autem quiſque antiquorum eſt , qui hæc univerſa præſtiterit ? Statuerunt illi quidem dogmata multa honeſta & laudanda ; aſt ubi hæc ad initia prima revocare conati ſunt , atque ex illis tanquam corpus perfectum & ſtabile Inſtitutionis architectari , in tot abſona & devia abierunt , ut ea merito Vellejus apud Tullium (*) *vocaverit* miracula & portenta Philoſophorum , non differentium , ſed ſomniantium . *Non vacat hoc loci meminiſſe , quam lepide diſputationem in ludum & jocum vertimus , dum immanes Veterum de Finibus bonorum & malorum errores perſecuti ſumus . Id unum meminero , quod ex his definitum a nobis eſt , eos iccirco , mira varietate diſtractos , non tam pugnantia , quam ridenda dixiſſe , quia minime ſelegerint Principia morum firmiſſima atque explorata ,*

e *quæ*

(*) 1. De Natura Deorum 18.

quæ diſſoluta & divulſa membra doctrinæ conglutinarent, ſuaſque argumentationes apto nexu conſtringerent. Eruitur hinc alia de Philoſophia quoque recentiore conſecutio, qua videbamur nobis videre in ratione & natura poſita quidem eſſe Moralis Vitæ Principia, ut ita dicam, ſecunda & ex aliis orta, non vero altiſſima & primaria, ex quibus cetera conſtare poſſint, & quorum comprehenſione mens noſtra partes omnes devinciat, momenta cujuſque veritatis ponderibus ſuis examinet, adverſaria evertat, conſectaria quælibet eliciat, verbo dicam, oſtendat, nihil aſſentari ſibi vel in præteritis relinquere. Tantum etenim abeſt, ut Principia firmitatis hujus de diſciplina Moralis Naturæ nacta ſit Philoſophia, vel ætate noſtra; ut potius in deliciis habeant Eruditi complures ſæculi hujus, Philoſophiæ viribus extenuare, quæcumque ſcita & juſſa de Legum origine hactenus prodierunt; recte ſecuſne ſancita fuerint ambigere; argumenta contra res morum teſtatiſſimas elegantia eruditione, quodque ſpectabili ſpecie fallit, modeſtia tanta proferre; ut in negotio de officiis hominum graviſſimo Scepticam dubitationem invehi & late propagari doleamus. Accedit, poſtremi periculi eſſe,

exem-

Digitized by Google

exemplo quoque noſtro adjicere auctoritatem iis, quibus omnia libet in quæſtionem vocare, ac de rebus, conſenſu Orbis & religione verenda conſecratis, ratiocinando decernere: cum tamen nihil ſit tam ſanctum ac ſolemne, quod nequeat impius homo, præſertim eloquentia potens, per ludicram imaginem aliquam labefactare, potiſſimum ubi ea obtrudat, quæ ſenſus noſtros, ut verbo Tullii utar, (*) titillant, atque ad illos cum ſuavitate fluunt. Vitio igitur non uno premitur Philoſophia, ne ſit vel apud indoctos, vel apud ſapientes moderatrix ſuprema in Legis naturalis origine perquirenda: apud indoctos, quia facile eam torquere improbus poteſt ad libertatis jura laxanda, quæ audit aure patula vulgus, aguntque radices in mentibus, alteque inhærent magis, quam quod a natura anticipatum erat & informatum: apud Sapientes item, quia licet pro eorum cum Philoſophis uſu calleant fraudes artis, & nodos omnes impiorum vel expediant, vel recidant; nunquam tamen ita res ad vivum reſecare poſſint, ut ſive a ſe, ſive ab aliis ſtirpitus evellant fibras omnes dubitationis, quas illorum ſpecioſa, atque exquiſite

(1) De Finibus 39.

Digitized by Google

diſpoſita argumenta in animis defixerant.

Jam vero ſublata Philoſophia, aliorum a nobis mentio facta eſt, qui ſuper legibus Naturæ, dum ad Fidei ſacrarium ſe recipiunt, Religioni ſatis conſultum eſſe putant, & de impiorum cauſſa conclamatum. Sed neque iſtis aures omnino præbuimus. Tametſi nanque hoc pacto neque fallere, neque falli poſſunt; oſtendunt tamen in eo, quod hoſtibus Divinitatis nihil incommodi ferant, atque illos nequeant ſuo, ut ajunt, gladio jugulare, quandoquidem afflatum Sancti Spiritus inani voce ſibi canunt, quem illi verbo negant. Deinde eccquis aliquibus perſuadeat, quamvis diſrumpatur, jura naturæ, vitæ naturalis officia, præcepta degendi inter homines non poſſe naturæ viribus aſſequi; ſi modo Epitecti, Ciceronis, Platonis, Senecæ, atque id genus plurimorum Ethnicorum Libros verſaverint, in quibus etſi nonnunquam veritatis umbram pro veritate, tanquam nubem pro Junone amplexati ſint; nihilo ſecius fatendum eſt, illos protuliſſe effata multa, humanis moribus accommodata, atque ad virtutem juſtitiam honeſtatemque mirifice compoſita. Denique via hæc invocandi Divini Numinis per ſacras literas edocentis, ubicumque de rebus ad natu-

ram

Digitized by Google

ram ſpectantibus diſceptamus, **Deum inducit** *non admodum liberalem donorum ſuorum largitorem ; quaſi vero nobis ratione utentibus tantum haud prætulerit lucis , qua perperam & recte facti diſcrimina dignoſceremus ; cum ex adverſo Conditoris providentis ordo poſtulare videatur , ut cui vim dedit percipiendi aliena , eidem multo magis dederit facultatem intelligendi ſua .*

Quibus in anteceſſum diu multumque agitatis , nunquid vis ad hæc , inquit Anſaldus , ut meam aliquando ſuper hac re ſententiam aperiam ? Principia Legis Naturæ , aut ego fallor , repetenda ſunt a Deo , tradente illa homini primo , a quo deinceps per ſingulas ætates ad nos uſque conſtanti , prorſuſque naturali Traditione manarunt . Porro cum Traditionem voco naturalem , animus eſt , hanc ita a Theologica atque Apoſtolica Traditione diſtinguere ; ut non ſuſpiceris , me contra me ipſum plagas texere , & ad Fidem nunc demum confugere , a qua paullo ante ceteros deturbavi . Traditio iſthæc , ſi quid mei judicii eſt , nullo modo ad eum rerum ordinem pertinet , quem Theologi ſupernaturalem *, appellant , utpote quæ habenda eſt inter ſubſidia Naturæ , ab optimo Creatore eidem homini ,*

quo

quo demum cumque modo aut tempore paraverit, conſtituta; ab hoc filiis & nepotibus accurato magiſterio commendata, ut ad poſteros, non diſquiſitione naturæ, & regiminis gratia vel neceſſitate, ſed narratione Majorum illa traducerent, perficienda ſemper, delenda aut mutanda nunquam; niſi ſi quando deformata ab illis fuerint, qui inanis ſapientiæ jactantia meditationes meditationibus cumularunt, & quo magis a ſimplici gentium omnium Traditione, eo magis a veritate receſſerunt. Hujus Traditionis indolem altius excutienti liquido patebit, in ea mire concinere partes omnes, quas huc uſque ad ſtabilienda Juris Naturæ Principia quæſivimus. Animadvertes, Traditionem hanc vires addere mirum quantum argumentis Philoſophiæ, ut ex probabilibus evadant certa, utque in iis, quæ docet de virtutibus Deo tributis, de Juſtitia præſertim ultoris, deque Munificentia remunerantis, non adhæreſcat ſcopulis imbecillium diſputationum noſtrarum, ſed luminis divini veluti ſydere, Naturæ præeunte, altum perpetuo teneat, atque hoc ſæculorum omnium ſuffragio, quaſi aquarum mole feratur. Ea admiſſa deſinet Philoſophus fluctuare ſuper animorum noſtrorum vita ſempi-

pi-

Digitized by Google

piterna , quam ubi perſpexerit , Traditionis oraculo ad hæc tempora deſcendiſſe , non erit cur difficilem ejus intelligentiam cauſſetur , ut hominum propterea morte deleri exiſtimet, & funditus interire . In hac demum Traditione compertum habebit , momenta eſſe maxima ad bene beateque vivendum ; quod videlicet per iſtam , extra naturæ cancellos minime egreſſus , videat inter humana & divina rationem connexi ; & filo veluti ductus Traditionis , exitum reperiat intricatiſſimi labyrinthi illius , quem tot mortalium de jure primo dicundo ſententiæ innumeris ambagibus intercluſerunt : Propugnator quoque Fidei nullo negotio conficiet , unius Dei cultum , animos immortales , præmia & ſupplicia æterna , univerſe ſumta , non a ſolo Sacrarum Litterarum teſtimonio , verum ab iſta etiam primigenia Traditione pendere ; atque adeo ſi de his congrediamur cum infideli , ſatius eſſe intra Naturæ fines cohiberi , quæ hac ratione explicata , incurrit in eadem veſtigia ac Fides : ne contra flagrantiore , quam par eſt , hujus ad omnia adhibendæ ſtudio , invidia verbi apud adverſarios Religionis cauſſa cadat diſputatio noſtra . In hac etenim , uti ceteris

in

in rebus, tam nimium quam parum offendit, locumque babet Horatii illud:

(*) Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim
Si pede major erit, ſubvertet, ſi minor, uret.

Ipſis denique ſuppetias ferre poterit Traditio bujuſmodi, qui, ut nominibus parcam, ab expilata pene Religione omni famam bis temporibus collegerunt; ſi modo iſti abditum ulcus tractari patiantur, & præjudiciis maledictiſque remotis, ſuſtinere nos, quibus nibil aliud cordi eſt, quam eos ad aliquam ſanitatem adducere. Cum primum etenim ſe revocabunt, injuſtum fatebuntur eſſe ſuam defectionem, vel a nobis, qui dum Legis Naturalis Principia Traditione ſcrutamur, in gratiam illorum ſupra naturam evebi nolumus, bominum duntaxat ſenſa bominibus opponimus; ac ſi quando in Sacra Biblia incidimus, allatis illis tanquam biſtoriis vetuſtiſſimis, divinam, qua pollent, autoritatem mente retinemus, ſed ab ipſis eam extorquere ſuperſedemus.

Interea dum bæc diſputaret Anſaldus, ſuſpiciebam ego præclarum bominis inventum; plau-

(*) Epiſt. 50. ad Fuſium.

plauſu non uno excipiebam dicentem uberrime de Traditionis hujus neceſſitate ab ipſo Orbe condito, ad ejuſdem creationis notitiam, atque ad robur Legibus omnibus inducendum: evolventem ſæcula ferme ſingula, genteſque omnes ſuper Traditionis noſtræ progreſſu, percuntabar atque audiebam totos dies de hiſtoria morum generis humani; de conſuetudine vivendi Ethnicorum, qui Moſen præceſſerunt & conſecuti ſunt; de veſtigiis primævæ Traditionis in utriſque; de fide Græcis & Romanis Scriptoribus quoad hæc deroganda; de origine cultus ſymbolici, atque animantium brutorum, Traditionem confirmantis; de Philoſophia Deorum, cujus fraude Traditio priſca obſoleſcere, atque impia ſuperſtitio florere cœpit; de Chriſto tandem illius reſtitutore & ſtatore. Cum ſubito res urbanæ eruditis hiſce diſceptationibus interceſſere; meque a ſuaviſſimo Anſaldi convictu diſſociatum, ad res domeſticas obeundas in Civitatem Brixiæ compulerunt. Quas inter varias procurationes nihil propius factum eſt, quam ut exciderent animo tot ultro citroque habiti de primis Legibus naturæ ſermones, meque ſenſim Calviſanenſium quæſtionum caperet oblivio. Ecce autem, paucis menſibus tranſactis, Tabella-

rius illinc profectus codicem involutum cum litterarum faſciculo ad me reddit, quibus explicatis & lectis cognovi, diligentiſſimum Anſaldum in id ſtudii me abſente incubuiſſe, ut ſcriptis mandaret, quæcumque coram erat mecum commentatus; tum vero lucubrationem ſuam mibi dono miſiſſe, non tam propter ſingularem erga me benevolentiam, quam quod ſcriptio illa utriuſque noſtrum dicta & cogitata complecteretur. Affecit me incredibili voluptate amiciſſimi, ejuſdemque doctiſſimi hominis, officium; opus, in tres libros tributum, avide ac non ſine magna admiratione pervolutavi; in eo comperi exarata fuiſſe non modo illa, quæ latiore ſpecie ex tempore fudimus diſputantes, ſed addita quamplurima ſubtiliter & luculenter, elimata omnia ad ſenſum, in ordinem redacta, atque ad juſti voluminis menſuram perducta. Quare optatum negotium mibi in ſinum delatum eſſe exiſtimavi, quo bene de Litteratorum Republica mereri poſſem, & gratiſſimo Anſaldi muneri eodem ipſo munere reſpondere. Si egregium opus, atque hoc ævo tantopere neceſſarium, publici juris facerem, preloque ſubducerem. Vix tamen ab illo obtinere diù ſuadendo enixeque rogando potui, ut conſilio meo voluntas

ejus

Digitized by Google

ejus accederet , quam mihi vel ob id maxime conciliare oportebat , ut rurſus tabulæ manum admoveret , & quæ ſub ſtylum ſcribentis amico ſubierant imprudenter ; ſecundis curis caſtigare . Acquievit tandem non in mea certe , ſed in Summorum Virorum autoritate , deditque ſedulam operam , ut volumen iſtud DE TRADITIONE PRINCIPIORUM LEGIS NATURALIS retractatum totum , crebriſque locis inculcatum & refectum , ſiſtere poſſim ante te , LECTOR BENEVOLE .

Satis igitur hac de re verborum ; quandoquidem habes hactenus non modo conſilii mei ſummam , verum totius etiam operis argumentum . Ceterum ne quid de Scriptoris mente deſideres , tria ſunt reliqua , quæ ejuſdem nomine ſubjiciam . Primo cautum tibi eſſe vellet , ne ambiguo ludaris , dum audis , inſtitutum ejus horſum ſpectare , ut Philoſophorum rationes cum Traditionis autoritate componat ; & reputes eum ſtuduiſſe veteribus ollis , quod ajunt , novas anſas affigere , & concordiam hanc , de qua Scriptores cum Tranſalpini , tum Itali , partim antiqui Scholaſtici , partim recentiores Dogmatici multi ſunt , multumque probati , de libro , ut fert adogium , in ſcapum redigere . Hi nanque omnes ab Autore noſtro fine & ordi-

Digitized by Google

ne differunt. Fine ſcilicet, quod illi aggreſſi ſint ad demonſtrandum, congruere rationem naturæ vel myſteriis Catholicorum, vel Traditioni divinarum rerum, vel Sanctorum Bibliorum veritati. Contra Anſaldus urget ſolum in Traditione Naturæ, ſocietatem humanam perficiente; Scripturarum narrationes, hiſtoricarum inſtar, producit in medium: & quam ipſi ex Apoſtolica Traditione, appoſite conjuncta rationi, collegerunt, multo magis conſentaneas inter ſe fore rationem & Traditionem Naturæ; tam ipſe totus eſt in connectendis ratione & Traditione Naturæ, unde colligat pro re nata divinam de rebus ſuperis Traditionem. Conſulto dixi pro re nata, propoſita quippe tantum Autori eſt Traditio prior, quæ non modo valet & viget, ſed valeret & vigeret adhuc, licet altera ſuperior minime conſecuta fuiſſet. Sed neque rerum ordine collato idem Scriptores ceteri præſtiterunt, quod noſter pollicetur. Ipſi etenim abſolutam numeris omnibus Tractationum volventes animo, ut communi judicio atque intelligentiæ facerent ſatis, de cauſſa identidem longe digreſſi ſunt, & in Philoſophicis, Chronologicis, Geographicis, & Moralibus diſciplinis abunde verſati; Philoſophum non alloquuntur, ſed inſtituunt; atque opera

ſua

ſua in Diſſertationes & Articulos decidentes, eorum, qui a libertate nomen ſibi ſumunt, objecta ſingula infirmare, & diluere ſatagunt, ut Religionis ſive primitus, ſive per Chriſtum traditæ veritatem ſartam tectam integramque tueantur. Autor noſter alio plane tendit; de una Religione Naturæ laborat; Philoſophum non effingit, ſed cum eo diſputat ſecundum ſpectatas & cognitas Sectarum omnium ſententias; oratione demum utitur continenti & perpetua, quæ in nervis hæreat cauſſæ, nec divertat unquam, ſed æquabiliter fluat torrentis inſtar, cum, (*) *ut habet de Torquato Cicero,* multa cujuſque modi rapit, nihil tamen tenet, nihil apprehendit, nuſquam orationem rapidam coërcet, *donec argumenta omnia, ex autoritate & ratione conflata, in unam fere deſinant enunciationem, legentium animis inſitam & conſignatam; Secundo te certiorem facit, ſe, ubicumque aliorum dicta pronunciat, maluiſſe verba e verbis exprimere, licet abjecta non ſemel & barbara, quam elegantia ſupponere. Qua in re Macrobii,* (**) *aliorumque probatiſſimorum exempla ſecutus eſt; immo de univerſo elocutionis genere non veretur, quin ſecum*

(*) 2. de Finibus 3.
(**) Saturn. dierum in Præf. ad filium.

ſecum eadem lege, qua Cicero, (*) agas, qui a Philoſopho, ſi attuliſſet eloquentiam, non aſpernabatur, ſi non habuiſſet, non admodum flagitabat. Nitoris tamen gratia aliorum verba iiſdem edidi contextus formis, & in ora paginæ locum adſcripſi. Poſtremo tibi perſuadeas velim, LECTOR STUDIOSE, me, quid Anſaldus enniti hoc opere, aut quid efficere poſſit, in tua citius ſpe relinquere, quam in ejus laude ponere; a qua abſtinendum mihi eſt prorſus invito, ut niſi ad perſpicuam veritatem, ad illius ſaltem loquar obfirmatiſſimam voluntatem. Ille ſane vehementer orat atque obſecrat, ne abs ſe præſtoleris, præterquam adumbratum eorum rudimentum, quæ movenda atque abſolvenda eſſent, ut arguerentur errores cuncti, quibus de hac re Scriptores plurimi, præſertim Tranſalpini, in Italiam importati clam, hoſpitiiſque heic nimium florentibus accepti, improvidorum animos imbuerunt. Tanti non eſſe opus ſuum ait, ut præſens remedium afferat morbo huic; quin etiam, ne medicina hæc, quæcumque ſit, tenellis mentibus offenſioni foret, monſtroſa & nefaria perditiſſimorum hominum ſenſa, ubi res tulit, magna animi proviſione, & circumſpecto judicio reci-

(*) 1. De Finibus 15.

recitavit. Lampada igitur ſuo curſu tradere nititur Anſaldus Sapientioribus, qui eruditionis otii atque ingenii copia affluentes, vel per ſe ipſos rem exhauriant, vel certe, ſi quæ ſunt ab eo vitioſe prolata, minus apte & concluſe poſita, in præteritis relicta, paucis omnia quidquid peccatum eſt, comiter admoneant. Quod ne putes ſimulate dici, modum Epiſtolæ impono verbis Auguſtini, quæ in rem ſuam me uſurpare jubet Anſaldus.

(*) Ego proinde fateor, me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid vel incautius vel indoctius a me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio; nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum, atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis perverſe ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Quanto melius & utilius, ut ubi ipſe erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat. *Et poſt pauca*. Cum ergo, non ſicut quidam cariſſimi mei putant, nulla vel

(*) Auguſtinus 7. 2. Ep. 7. ad Marcellinum.

vel pauca, ſed potius plura fortaſſe, quam etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem revocare, ſi poſſem; non mihi Tulliana illa blanditur ſententia, (*) qua dictum eſt, nullum unquam verbum, quod revocare vellet, emiſit; ſed angit me plane Horatiana ſententia: Neſcit vox (**) miſſa reverti. *Hæc Anſaldus ex Auguſtino. Vale, & conatus meos boni conſule.*

DE

(*) Ex incertis locis.
(**) De arte Poëtica ſub finem.

Digitized by Google

DE PRINCIPIORUM LEGIS NATURALIS *TRADITIONE*

LIB. I.

DE eorum, Poline Abbas humaniſſime, quæ autumnalibus anni præteriti feriis Brixiano in Calviſanenſi placidiſſimè commentati ſumus, dum per amœnos agri virentis campos exſpatiaremur, me oblitum ex facili arbitreris, atque ut quid conſuetudo tua, quæ me omninò beavit, adtulerit fructus, ipſe cognoſcas, ea prorſus omnia, quæ de naturalis juris principiorum traditione diſputavimus una, ſcripto recenſere operæ pretium ſtatui; quod etſi pro mediocritate mea modicum ac leve futurum ſit, ſui tamen pro dignitate atque fœcunditate uberrimum atque copioſum erit diſſerendi argumentum. Quum enim, Te etiam longè agente, meo hocce in ſeceſſu quoquomodo philoſophandum ducerem, mea mihi cogitatione involuto obſervabantur non

ſemel, quæ de vera hominis conditione ac felicitate, deque virtutibus, quæ ad bene beateque vivendum neceſſariæ ſunt, egregiè memoraveras; quo factum, ut animum ad fortitudinem erigerem, fortaſſe ad illam etiam virtutis ſpeciem, quæ caducas haſce vanaſque mortalium umbras poteſt unica triumphare. Quid enim honeſtius, quid jucundius, quid homini utilius, quam ipſum ſe colligere, miſeramque hanc naturam ad ſuas revocare leges, quibus ſi non omninò infelicitatem exuat, ſuſtineat aliquando tamen, ſique haud ſemper poſſit adversùs adfectuum tractum niti, & cum ſuo depugnare ſæculo, delectet ſe tamen, gaudeatque mens in veritatis optabili luce verſari, quod eſt animi pabulum incredibili quadam jucunditate atque tranquillitate perfuſum? Publium Scipionem, eum qui primus Africanus appellatus eſt, laudat ex Catone Tullius, dicere ſolitum, numquam ſe minus otioſum eſſe, quam quum eſſet otioſus, neque minus ſolum, quam quum ſolus eſſet. Magnifica vera vox, ſubdit, (*a*) & magno Viro, ac ſapiente digna; quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine

(*a*) *Lib. III. de Off.*

dine loqui ſolitum, ut neque ceſſaret umquam, & interdum colloquio alterius non indigeret. Itaque duæ res, quæ languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium ac ſolitudo. Vellem & hoc idem mihi verè dicere liceret, ſed ſi minus imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi potui, voluntate certè proximè acceſſi, nam & ab urbano ſtrepitu remotus, & ruris umbras frequentare ſolitus, totus in tacita cogitatione fui, ex qua ad iſta ſcribenda ſtudium omne operamque converti.

II. Enim verò tametſi mortalium adeò extra naturam inveniri poſſit nemo, qui illius in officiis aliqua ratione non ſit inſtitutus, pauci tamen de ſummorum illius juris principiorum fonte ac origine cogitant, cujus divinam per traditionem indepta cognitio naturalium vim legum augere ſolet, ac facere firmiorem. Et de legibus quidem ac jure naturæ latè ſcripſere veteres olim Philoſophi, Plato præſertim ac Tullius; renatis autem literis Grotius, atque Seldenus, Hobbeſius, Gravina demum, Pufendorfius, ac Barbeyracus, qui licet inter ſe ſententiis diverſi, eos tamen inter, qui de jure ſcripſere, ducunt agmen. Hiſce quidem omnibus Sotus erat præferen-

dus ; ſed nulla levibus ab hominibus ratio illius habetur in præſens, quod Metaphyſicis diſputationibus conceſſerit nimis, eas tametſi iſti iidem contemtores plurimum celebrent in Pufendorfio. Adeò ſuum nulli Philoſophorum dare nomen, & in docta regione, & in tempore eſſe magni aliquando auſpicii eſt. Unus omnium Seldenus, ut occulta via Tullianam Grotii methodum everteret, juris originem naturalis (Seldeniano tamen more) divina duxit è traditione, Noachidarum ſcilicet ac Hebræorum, ceteri pænè omnes ab natura atque ratione, iis ſcilicet demtis, qui Lockii in principiis, aut in Bælii genio conjuravere. Et ante Lockium quidem Bæliumque Viri fuere ingenio atque eruditione præſtantes, inter quos certè Motheus Vajerius, (*a*) atque Foucherius, (*) qui ut altioribus diviniſque doctrinis viam ſternerent atque munirent, hominum ex animis eradicandam cenſuerunt Philoſophiam, ſcepticis ad id uſi feliciter argumentis, quod & ſcirent & apertè prædicarent, inrita fore eadem, vimque omnem amiſſura, ſi ſupernaturalia adversùs placita torquerentur : quippe quorum principia non ab hominibus rebuſque hu-

(*a*) *De Virt. Gent.* (*) *Diſſert. ſup. Philoſ. Academ.*

humanis, ſed a Deo totius veritatis perenni ac altiſſimo fonte ſint ducta. Alii è diverſo, uti Steuchus Eugubinus, (*a*) Theophilusque Galeus; (*) ex Hebræorum doctrina omnem prorſus derivare conati ſunt Græcorum, aut veterem Philoſophiam, eamque partem maximè, quæ mores ſpectat ac ſocietatem. Nos in præſentiarum non de naturalis juris legibus, aut præceptis Philoſophorum, ſed de ſummis ac maximis ejuſdem juris principiis diſputandum ducimus, quæ adſerenda arbitramur primævæ certiſſimæque divini Numinis traditioni; qua quidem in re, neque dogmaticam, neque ſcepticam ſequi ſententiam, neque utramque reſpuere omninò, neque diſſentientes conciliare velle me certum ſit; dicturum ea modo, quæ vera ſentio profeſſum, abſque ira & ſtudio, quorum cauſſas procul habeo, æquè ſciens neque omnia certa prorſus eſſe, neque incerta omninò omnia, tametſi plura ſint Philoſophiæ ad aram donaria, nuncupantium vota, quàm exolventium.

III. Principia autem naturalis juris hæc dicimus; Deum ſcilicet eſſe, eumque æternum, immortalem ac materiæ prorſus expertem,

(*a*) *De peren. Philoſ.* (*) *Philoſ. Gener.*

tem, juſtum æquè ac liberalem, omnipotentem ac providentem, omnia pro imperio ſuo ac voluntate decernentem, eumque rerum omnium factorem, quem honore ac laudibus proſequendum dignoſcamus: Homines verò animos ſortitos eſſe immortales atque poſt fata ſupeſtites, eoſque miſera in conditione eſſe non neceſſitate naturæ, aut ex imbecillitate factoris; quippe qui omnia condiderit perfectiſſima, ſed extrinſeca omninò è cauſſa, ac ratione juſtitiæ: Virtuti præmium, ſupplicia certiſſimè reſpondere vitiis atque peccatis: lento aliquando gradu divinam procedere iram, tarditatem tamen ſupplicii gravitate penſare; quæ utique omnia non arbitrio aliquo humano, aut ſuapte natura, aut ratione hominum, dignoſci poſſe, aut creata lege, aut more dicimus inſtituta, ſed certiſſima divini Numinis traditione. Porrò tametſi prima quæ vocantur principia ſuapte natura per priora alia demonſtrari non poſſe quiſque per ſe ſatis cognoſcat; ejuſcemodi tamen ſintne ea omnia, quæ enumerata ſunt, aut iis etiam in ratione principiorum habitis, adhuc tamen indigere ne traditione, externaque veluti revelatione debeant, nec ſuopte ingenio adtingere ſtatim ea humana mens poſ-

ſit,

ſit, in dnbitationem plurimi, aut in examen ſaltem revocandum exiſtimavere. Hos itaque ſequuti, neque naturæ, neque rationis opus ea eſſe, ſed altioris mentis atque indaginis, ipſa ratione duce evincendum putamus: quæ qammvis humana ab radice ortum haud potuerint ducere, ita tamen illi & neceſſaria, & accommadata ſint, ut naturalis principia legis jure apud omnes audiant, & humanæ fundamenta ſocietatis. Hujus verò ſyſtematis claram apertamque imaginem exhibet communis animæ theoria, quam ex facili concipimus naturaliter corpori uniri, in eo naturaliter eſſe, ejuſque ad motum naturaliter & ordinatè moveri, quin tamen eamdem ab hominis virtute effici poſſe credamus, ſolumque a Deo creari poſſe fatemur; communem dixi animæ theoriam, quam potius veriſſimam dicere debuiſſem, tametſi neminem lateat, in multas Philoſophos hac ſuper re diſtractos eſſe ſententias. Verùm ignota & non adhuc concepta per adnota modò poſſunt, ac uſu recepta debent ſignificari.

IV. Ut autem ordine procedamus de Deo primum, dein de reliquis, quæ naturalem ad conditionem, univerſamque humani generis ſocietatem pertinent, pertractandum

dum eſt. Naturalem porrò ſupernum erga clementiſſimum atque potentiſſimum Numen religionem proprium eſſe ac peculiare hominis officium dubitare quis poſſit? Nullum propterea eſt animal præter hominem, quod aliquam habeat æterni Numinis notitiam aut cognitionem; ſolus enim ſapientia inſtructus eſt, ut religionem ſolus intelligat, & hæc eſt hominis atque mutorum vel ſola, vel præcipua diſtantia; nam cetera, quæ videntur hominis eſſe propria, etſi non ſint talia in mutis, tamen ſimilia videri poſſunt. Proprius homini ſermo eſt: tamen & in illis quædam ſimilitudo ſermonis; nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus, & quum iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem, & quum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ; ſed ipſis, qui ſe intelligunt, verba ſunt. Denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant. Riſus quoque eſt homini proprius: & tamen videmus aliis in animalibus quædam ſigna lætitiæ, cum ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt. Quid

tam

tam proprium homini, quàm ratio & providentia futuri? Atqui ſunt animalia, qui latibulis ſuis diverſos & plures exitus pandant, ut ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis; quod non facerent (inquit Lactantius) (*) niſi ineſſet illis intelligentia & cogitatio. Alia provident in futurum:

Ut ingentem formicæ farris acervum
Comportant, hyemis memores tectoque reponunt.

Ut Apes:

Quæ patriam ſolæ & certos novere Penates;
Venturæque hyemis memores æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.

Longum eſt exequi ſi velim, quæ a ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanæ ſolertiæ ſimillima. Quod ſi horum omnium, quæ adſcribi homini ſolent, in mutis quoque deprehenditur ſimilitudo, adparet ſolam eſſe religionem, cujus in mutis nec veſtigium aliquod, nec ulla ſuſpicio inveniri poteſt. Religionis enim eſt propria juſtitia, quam nullum aliud animal attingit; illi enim

B Dei

(*) *Lib. V.*

Dei cultus adſcribitur, quem qui non ſuſcipit, hic a natura hominis alienus, vitam pecudum ſub humana ſpecie vivet. Quum verò ceteris ab animalibus hoc pænè ſolo differamus, quod ſoli omnium divinam vim potestatemque ſentimus; in illis autem nullus intellectus ſit Dei, certè illud fieri non poteſt, ut in hoc vel muta plus ſapiant, vel humana natura deſipiat, quum homini ob ſapientiam & cuncta, quæ ſpirant, & omnis rerum natura ſubjecta ſit. Quare ſi ratio, ſi jus hominis hoc præcellit, & ſuperat ceteras animantes, quod ſolus notitiam Dei càpit, adparet religionem non poſſe diſſolvi.

V. Enim verò, tametſi ſocietatis officia ſe ſe humanum intra genus continere modò videantur, haud habita tamen practica Numinis idea, quæ & providentiam ejus atque juſtitiam præſeferat erga univerſum genus humanum, naturale jus & ordinatæ ſocietatis leges, conſtanter firmiterque poſitas credere poſſibile non eſt. Quum enim anima ſit legis obligatio, ſine qua dubia profectò eſt, ſibique adhuc inconſtans lex, exſiſtat neceſſum eſt ſuperior utique voluntas, cui parere fas ſit, cujuſque ad imperium

rium cetera ſint ordinata. Illa verò voluntas abſque viribus eſſe non debet, ut naturalia legis præcepta audaces adversùs Oſores poſſit ulciſci, quos in obſequium inducere quum aliquando vis humana non poſſit; cogi enim nequit qui tandem ſciat mori, neceſſe demum eſt ad homines in officiis ſocietatis continendos ultor adgnoſcatur Deus, ulterior iccircò animorum ſtatus, quorum ob metum a violandis naturæ legibus cohibeantur vel Oſores illi, qui aut latere ſciunt, aut etiam mori.

VI. Hanc ſuperæ authoritatis neceſſitatem illi etiam dixere legis procemium, ac fundamentum, humana qui ab ratione naturalis principia repetunt ſocietatis. Ita enim apud Tullium inquiebat Marius ille diſputator ad Fratrem (*): Sit igitur hoc a principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quæ gerantur, eorum geri vi, ditione, ac numine, eoſdemque optimè de genere hominum mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque & impiorum habere rationem. His enim

(*) *Lib. II. de Leg.*

rebus imbutæ mentes, haud ſanè abhorrebunt ab utili, & a vera ſententia. Quid eſt enim verius, quàm neminem eſſe oportere tam ſtultè arrogantem, ut in ſe rationem putet ineſſe, in cœlo, mundoque non putet? quem verò aſtrorum ordines, quem dierum noctiumque viciſſitudines, quem menſium temperatio, quemque ea, quæ gignuntur a nobis ad fruendum non gratum eſſe cogant; hunc hominem omninò numerare quî decet? cumque omnia, quæ rationem habent, præſtent iis, quæ ſint rationis expertia, nefaſque ſit dicere, ullam rem præſtare naturæ omnium rerum: rationem ineſſe in ea confitendum eſt. Utiles eſſe autem opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantæ ſalutis ſint fœderum religiones? quam multos divini ſupplicii metus a ſcelere revocavit? quamque ſancta ſit ſocietas civium inter ipſos, Diis immortalibus interpoſitis tum judicibus, tum teſtibus? Habes, ſubdit, legis procemium: ſic enim hoc appellat Plato. Illum itaque juxta naturæ legem inſtitutum arbitramur, qui non id modò eſſe rectum ſentit, quod honeſtum, quod juſtum, quod denique ſit cum juſtitia & æquitate conjunctum, & in

vir-

virtute plurimum eſſe præſidii ad bene beateque vivendum; verum etiam (præcipuum quod eſt) qui Deum unum eſſe hujuſce mundi opificem ac effectorem, eumdemque mentem ſolutam ac liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali, omnia ſcientem atque moventem, ipſumque præditum motu ſempiterno, in omnes beneficum ac liberalem, omnibus animantibus commoda quibus utuntur, lucem qua fruuntur, ſpiritum quem ducunt, dantem atque impertientem, omnia cogitantem, intelligentem, providentem atque animadvertentem: bonis & piis ſuæ præmium pietatis perſolventem: improbos & impios pœnis afficientem meritis habeat perſuaſum.

VII. Enim verò hæc prorſus omnia primo omnium parenti fuiſſe tradita certum eſt, quæ Noæ, Abrahamo dein & Moſi repetita fuere, quum percuſſo cum Hebræis fœdere lex iterum naturalis lata eſt. Aſt ut exiguo inviſoque in populo ſe vetus hæc recepit demum traditio, Græcorum ſapientes, qui de illa ne fando quidem audiverunt, magnum illud pertentare auſi æquor, eſſentiamque ſupremi numinis infinitam imbecilli humanæ mentis virtute rimari poſſe arbitrati,

vel

vel in errores dilapſi ſunt infandos, vel ſi quid adtingere potuerunt, vix probabiliter tamen aliquas valuerunt eruere veritates, quibus ad naturæ mores humanum genus poſſet inſtitui. Et veteres quidem omnes, qui Philoſophorum nomine ſuperbierunt, peſſima uſos fuiſſe methodo ad eſſentiam æternæ illius incircumſcriptæ mentis perveſtigandam indubium eſt. Quum enim illius indipiſci cognitionem ex parte, ita ut loquar, moralitatis debuiſſent: ut ſcilicet naturalium è legum atque ſocietatis neceſſitate, optimo inferrent inde conſilio ſummum exiſtere, ac potentiſſimum legum latorem Deum, ſapientem, æquum, optimum, maximum; cauſſarum enim nulla cognitu pervia magis eſt, quam finalis; phyſicam potius naturalemque totius entis eſſentiam per principia rerum phyſica, ac phyſicis rationibus, inquirere voluerunt: quo factum, ut dum nihil illis ſuperbius, nihil etiam eorum placitis imbecillius videamus. Quæ enim impervia magis ea, per quam inexperti inceſſere, ad naturam divinam perveſtigandam ratio? Pæne quippe omnia, quibus de agitur in phyſicis, eſto nota ſenſibus ac vulgata videantur, captu tamen quam ardua ſunt. Rerum natura num-

numquam magis quam in minimis tota eſſe dicitur, quid erit in maximo, in infinito? Quare naturalium eſſentiam rerum imperveſtigabilem alii credidere: alii phyſicarum de natura rerum eſſe perpetuo dubitandum: alii phyſicorum placita hiſtoricè modo dignoſcenda; quod in rerum natura illabi mens humana non poſſit.

VIII. Jam verò certum omninò eſt, omnes quotquot fuere veteres duas modò in claſſes poſſe diſtingui, Atomiſtarum alteram, veterum alteram Academicorum. Ad priorem illam Pythagoræ ſectatores ſpectant & Epicurei; etſi enim Leucippi placita vetuſtiſſimorum temporum indolem minimè ſapere aliqui ſentiunt, quod univerſa Pythagoræ doctrina ænigmatica ſit, utpote quæ de Cabaliſtarum præceptis initia ducens, atque Patrum memoria diſcedens è magna Græcia, rurſus in Cabaliſtarum volumina incubuerit: adeò tamen in principiis conveniunt Pythagoras atque Democritus, ut quamvis ætas, qua vitales iſte duxit avras, alterius ab ætate diſtaret immenſum, haud dubitaverim at tamen adfirmare, vocari alterum poſſe auditorem alterius; quod ex eo profectum arbitror, quod Philoſophiam uterque inſtavraverit

rit ſuam ex Ægyptiorum principiis, atque doctrina. Stoici, Platonici, & Peripatetici ad veteres pertinent Academicos; quippe etiamſi quum ſpeciales eorum deſcendamus ad theſes, haud minimum videamus eas inter eſſe diſcriminis atque diſcordiæ; Ariſtoteles enim ſatis frequentia naturales res dialecticum vertit in ratiocinium: eas è diverſo mathematicas ad proportiones transferunt Pythagoras & Plato, Eudoxum licet atque Architam hacce in re ipſe notet: in principiis tamen, & ubi de natura agitur divina, convenire eos extra dubium omninò eſt. Enim verò latere neminem arbitror, Ammonium Alexandrinum philoſophum, ipſo ab Commodi imperio clarum, omniumque ſui temporis celeberrimum, rixoſis Platonicorum atque Peripateticorum diſputatiunculis contemtis, reſectiſque, quæ utrinque excreverant nugis, in præcipuis quibuſque, & maximè neceſſariis dogmatibus concordem eſſe Platonis atque Ariſtotelis ſententiam demonſtraſſe, utramque reconciliaſſe ſectam, atque ab contentionibus liberam ſuis Philoſophiam auditoribus tradidiſſe: qui diſſentientes ſectas conciliandi animus (indubium ſimilitudinis earum atque conformitatis indicium) Speuſippo

ſippo diù ante inſederat atque Simplicio, Porphyrio, Pico dein Mirandulano, quemadmodum habita ratione diſſentientium inter ſe Peripateticorum Piccolomineo, Sarnano, Ruvereo, eadem omnes è cauſſa; ſicut enim in principiis inter ſe Peripatetici, ita cum Peripateticis Platonici & Stoici convenere. Jam verò neutra ex illorum claſſibus Philoſophorum divinam naturam ejuſdemque adtributa ita conſtituere viſa eſt, ut ab iiſdem naturalis firmari leges poſſent ſocietatis. Atomiſtarum enim aliqui Deum eſſe intellexerunt Mundum, ipſumque haud extra materiam eſſe, omniaque eſſentialiter eſſe Deum: Mundum quippe immenſum adfirmavere, æternum, totum in toto, imò verò ipſum totum, finitum & infinito ſimilem, rerum omnium certum & ſimilem incerto, cuncta in ſe extra intraque complexum, eundemque rerum naturæ opus & ipſam rerum naturam, omnia tandem Deum eſſe, & Deum omria, ipſumque ideo dici finem omnium, quod omnia reverſura ſint in ipſum, ut in eo immutabiliter conquieſcant, unumque individuum cum eo & incommutabile permaneant; in illo tandem reddi, reſolutaque referri omnia, quorum morti non eſſe locum, ſed vi-

C va

va volare ſyderis in numerum , atque alto ſuccedere cœlo :

Juppiter omnipotens. Regum Rex ipſe Deuſque
Progenitor genitrixque Deûm, Deus unus & omnis.
Juppiter eſt quodcumque vides quodcumque movetur.

Heinc quæ producta conſpicimus, naturæ modo effectus eſſe , naturæ inquam non artificiosè ambulantis , ſed omnia cientis & agitantis motibus ac mutationibus ſuis, convenientia quadam conſenſuque partium , quarum quaſi cognatione atque conſpiratione continuata , eaque , quo ſuo ſponte major, eo minus ſeparato ſpiritu atque ratione fieri exiſtimanda ſit . Horrendum turpeque hoc perditorum hominum deliramentum videt jam quiſque ab inſtituendæ ratione naturalis legis ac ſocietatis diſtare immenſum quantum . Jam enim nulla lex extrinſeca eſſet reliqua, nulla bonitatis eſſent præmia, nulla juſtitiæ, prudentiæ nulla, nullus profectò judex, cujus abs ſe iram averruncare conentur illi, humanas qui non formidant vires , nullus naturalis ordo ſocietatis.

IX.

IX. Malo illi occurrere viſi ſunt veteres Academici, ſubdolè tamen, & inſidioſam veluti per ſpeciem. Nam etſi cauſſam prædicarent omnium principem, primumque motus principium, ſummam veluti intelligentiam, & divinum quodammodo ſenſum, unde & diligentiſſimis quoque fucum aliquando feciſſe viſi ſunt, iis ſcilicet qui veterum Academicorum plurimos Deum, qualis a nobis rerum creditur naturalium conditor, cognoviſſe ſcripſerunt; nonniſi tamen humanæ mentis beneficio erant illa omnia, eorum quidem ſententia, a virtute materiæ diſcreta, eorumque de Deo teſtimonia cum iis omninò conveniebant, quæ de univerſo rebus omnibus circumfuſo extenſoque principio, ſive anima Mundi Stoici loquentes frequentiſſimè proferebant: Quare etſi Deorum, uti ajebant, immortalium laudibus, atque divinæ encomiis providentiæ veterum reſonarent Academicorum effata, Deum tamen materiæ veluti animam excogitabant atque virtutem, ſeu verius materiam eſſe intelligenti virtute donatam, habereque in ſe ultimum, altiſſimum, atque undique circumfuſum, omnia cingentem atque complexum ardorem, ad quem, veluti divinum

reverà ad Adtributum preces hominum conciperentur & vota, uti ex Ennii illo comcommemorat Tulius: (*)

Adſpice hoc ſublime candens quem invocant omnes Jovem.

Dum itaque Deum unum fatebantur Stoici, ignem iſtum intelligebant divinum, naturamque iſtam æthercam, quæ penetraret animaretque omnia alia elementa, quæque diverſas juxta res, quas per vim efformabat ſuam, variis erat nominibus inſignita. In vulgari igne Juppiter, in aëre Juno vocabatur, in aqua Neptunus, Ceres in terra, Sol diurno in aſtro, Luna in nocturno, egregiis in hominibus Genius, ceteriſque aliter in rebus, quæ participes omninò omnes erant divinitatis. Quamobrem eſto uti vulgus haud ſemel Stoici loquerentur, & communem ad opinionem omnis eorum accomodaretur oratio, alia tamen erat, cum veritas ipſa limaretur, in diſputatione ſubtilitas, & ratio differendi. Stoicus itaque ille Marcus Imperator Antoninus moralibus in libris (ſi tamen genuini Cæſaris ſint fœtus, neque fabulam

(*) *Lib. II. de N. D.*

bulam ſapiant, uti ab Caſtelvitro dubitatum eſt) Mundum ac Deum unam eandemque per omnia dixit eſſe ſubſtantiam (*); eo quippe ex principio omnes Stoicorum doctrinæ de fato, ac divinatione pendebant. Plato ſibi ſemper inconſtans, ſuiſque in ideis ſemper abſtractus, apud nonnullos divinus audit, neſcio quo jure. Arcanum ejus in præconceptione eſt immaterialis materiæ, ſive primi entis intelligentis atque incorporei, quod tamen ſenſim corporeum fit ac materiale. Mundi principium ignem veluti incorporeum dicit, è quo quatuor fierent elementa, exque elementis anima dein mundi, quam ens divinum vocat iterum atque intelligentiam. Et Deum, uti Gundlingius optimè animadvertit (*a*), primò quidem ſtatuit Plato, quem bonum appellat, quod res, quas videmus, innumeris cumulaverit bonis, pulchrum, quia principium rerum omnium, inennarabilem denique, quia nihil in rerum natura invenitur, quod vel genere, vel ſpecie ei adpareat ulla ratione conforme, unde nemo credat magnificentius aliquid potuiſſe philoſopho ab homine proferri;

(*) *Lib. VII.*
(*a*) *Diſſert. in Bibl. nov.*

ri; ejuſque generis ſermo tantam in admirationem legentes adducat, ut ad unum ferè omnes ibi conſiſtant: in primis ſi ſchema oratorium accedat, & inſidioſæ facundiæ verba, tam ſpecioſa principia conveſtiant. Atquam primum phyſicam Academiæ Conditoris doctrinam ſeriò & ſine veſte ſpectamus, & quemadmodum mundus effloruerit, indagamus, alia verò omnia experimur. Statim enim bina obſervamus principia, Deum ſcilicet atque materiam. Materia coæterna eſt, ingenerata quidem, uti Timæus Locrus vult, ſed a Deo per emanationem ſempiternam coorta, utpote quam informem ac infinitam è ſinu expulerit ſuo. Quod poſterius in primis obſervandum eſt, ut intelligatur tum Dei & materiæ æterna conjunctio, tum etiam æterna emanatio. Rectè namque rationes ſubducunt, qui Platonis Deum principem ac Regem ut immobilem, ſummoque in otio verſantem mente concipiunt, cujus fœcundiſſimo è ſinu effluxerint omnia, ipſaque etiam materia, non tam tempore, quam conceptu poſterior deſtillaverit. Quod quidem mollius ferendum ſapientibus foret, niſi materiæ è viſceribus ſummi parentis propulſæ malignam adeò naturam tribuiſſet, ut ipſe Deus ſummus

nius eam penitus corrigere nequiverit, ac reſtituere in integrum. Fuiſſe itaque Deum ſupremum è Platonis ſententia, quæ nuda mentis præciſione nititur, permotum, ut materiæ ſine forma jacenti, auxiliares manus adferret, eamque veluti ſylvam denſam, atque aſperam meliorem in ſtatum redigeret. Quod quum ſine ratione perfici non poſſit, tertium, quod vocavit ideam, excogitavit, internum veluti verbum, quod itidem ex abundantia divinæ Majeſtatis effluxit. Neque verò naturæ divinæ, utpote in otio & tranquillitate fluitanti, congruere videbatur, ut ipſa manum operi admoveret; eoque fine novum emergebat principium, externum veluti verbum, quod mundum, qui Dei unigenitus dicitur, intravit, ut animatus evaderet ac rationalis. Ex ratione, ſeu intellectu innumeræ ideæ, quæ intelligentiarum, ſpirituum, Deorumque nominibus inſigniuntur, procedentes, mediæ quaſi inter animas, mundi ex anima permanantes, & materiam exſtitere; illoſque tandem effecere gradus, per quos a materia ad animam, ab anima ad ideam, ſeu intellectum, ab intellectu ad primam illam unicam optimamque naturam adſcenderetur, eaque

que ratione generatæ res, cum Rege & Parente tam ſenſibilium, quam intelligibilium conjungerentur: Deum itaque Platonis ſic componi è rebus intelligibilibus, ſenſibilibus, corporalibus ut Spinoſæ Deus, ex quo omnia, & qui cum & in omnibus. Quemadmodum enim Spinoſa Numen ſuum, duabus imprimis proprietatibus cogitatione inſtruxit & extenſione: ita ad platonici latus duas hypoſthaſes eſſe, quarum una materia extenſa eſt & animata, cogitans altera ſive rationalis. Quod Plato hypoſthaſim, ſive principium oratorio more vocat, id Spinoſæ Carteſiano more adtributum eſt; conſpirare tamen utroſque in eo certum eſt, ut naturam eſſe unum, exque unitatis viſceribus prodiiſſe materiam, prodiiſſe intellectum, prodiiſſe animam efficacem affirment, inde adhuc prodire omnia & texi, quemadmodum ex araneo tela affabre efficta, aut ex unitate numeri exſurgunt infiniti. Notum enim verò quid impulerit pleroſque, ut de ſententia Platonis ſecus, ac benignè ſentirent. Deprehenderunt illi ſcilicet, multum de ſapientia, idea, atque artificio, quod in mundo apparet, differuiſſe Magiſtrum. Conjecere itaque habere ejus mundum Opificem exter-

num,

num, magna ſapientia conſpicuum. Verum obſervatum olim a pluribus, non eſſe mundi Opificem, Platonis ſententia, a mente Dei diverſum, eundemque qui nunc Opifex, nunc itidem vocari mentem, hance autem haud eſſe reipſa ab anima mundi diſtinctam, ſed logica modo præciſione ſeparatam concipi: perinde ac voluntatem ac intellectum res tamquam ſeparatas aliqui conſiderant, quamvis una mens ſit, quæ intelligat, velitque. Heinc eam a Platone animum ſpiritumque dictam, qui cum mente idem eſt, commentitia utique diſtinctione. Mens quum intelligit, ſpiritus, quando quod intelligit, exequitur, appellatur; quemadmodum igitur voluntas ſine corporis interventu cerni non poteſt, ita anima mundi, cui propriam adjecit hypoſthaſim, nonniſi mentis ſummique Dei ſpiritus eſt, diffuſus & exſtenſus per univerſum, materiæ inſtar Carteſii ſubtilis; quibus conſtitutis conſequitur ſanè, ut Platonis Deus, Univerſum, materia, mens, anima, mundus diverſa unius modo rei nomina videantur. Et adverſus quidem iſta latè diſſeruit Zimermannus (*), adverſa fronte inter ſe pugnare Spinoſæ & Platonis dogmata oſtendens;

(*) *Exercit. de Atheiſmo Plat. Tom. IX. Amœn. Liter.*

dens; ſenſiſſe quippe primum nullam præter Deum dari, aut concipi ſubſtantiam poſſe: quicquid eſt, in Deo eſſe, nihilque ſine Deo poſſe concipi: Platonem è diverſo præter Deum ſupremam mentem, materiam adſeruiſſe dari, dæmones item, aliaſque ſubſtantias, credidiſſeque ad exornandum condendumque mundum liberè Deum accinxiſſe ſe. Spinoſam omnia ex neceſſitate divinæ naturæ poſuiſſe ſequi, ex neceſſitate inquam infinita infinitis modis, omnia ſcilicet quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt, debere ſequi: Platonem contrà profeſſum eſſe Deum fines habuiſſe ſapientiſſimos in omnium emolitione rerum. Alterum omnes reicere fines, Deumque ferreo neceſſitatis conſtringere vinculo: alterum liberè non neceſſariò Deum facere operantem. Mentem noſtram liberam Platonis in ſyſtemate eſſe, in Spinoſæ Syſtemate neceſſariam; in illo locum habere divinam providentiam, non item in iſto; quibus ex omnibus conſequi videatur, Platonem a Spinoſæ ſententia longiſſimè abeſſe, adeoque atheiſmi non accuſandum; etſi vereor plurimum hæc omnia è ſpecioſis modo Philoſophi teſtimoniis derivari ne jure, propugnarique poſſint; ut enim optimè ſapien-

tiſ-

tiſſimèque Vir doctiſſimus animadvertit Stellinus (*), Plato quum ingenio eſſet ſummo præditus, omnique doctrina expolitus, & in utraque facultate, quod paucis contigit, par, ea videlicet pervidendi, quæ ſejuncta a concretione mortali abſtractæ a ſenſu menti tantummodo patent, & ea, quæ mente percipiuntur, ſenſibus ipſis exhibendi quaſi colorata, ac magnificè illuminata, res haſce duas inter ſe disjunctiſſimas una componens, ex utraque conflatum dicendi genus adtulit, quod verborum ſplendore, rerumque pictura pigmentis omnibus illita delectat ſæpè magis, quam doceat. Et quidem crebrò tam intemperanter orationi calamiſtros adhibuit, ut non ſolum a Philoſophi hominis ſeveritate deſciverit, ſed etiam viciſſe poëtarum audaciam dicendus ſit. Heinc eum quidam, ut apud Longinum eſt (*a*), ſuggillarunt, quod in translationes immoderatas, & allegoricum tumorem correptus quaſi furore quodam efferatur, atque a Dionyſio Halicarnaſſenſi (§) notatus eſt eo nomine, quod lemniſcos verborum ſtudioſius fuerit, quam re-

(*) *Orat. Patav. hab. ad Ethic.*
(*a*) *De Sublim. Cap.* 28.
(§) *De Grav. Orat. Demoſt.*

rerum pondera, conſectatus. Quare dum a ſenſilibus ad inſenſilia, a rerum imaginibus perpetuò fluentibus ad rerum ſpecies ipſas, quæ neque gignuntur, neque interituræ ſunt unquam, traducit animos, ut umbrarum harum conſuetudine contractus error luce veritatis eluatur, allegoricis involucris omnia prætexens retrahit ad umbras eaſdem, & ſublustri nitore quodam occupatos ita adficit, ut admiratione potius obſtupefactos dimittat, quam evidentia colluſtratos. Quum enim poëtarum omnes undique floſculos conlegiſſet, & numerorum myſteria, doctrinamque idearum ab Epicharmo adumbratam penitùs introſpexiſſet, coëgit in unum hæc omnia ſe ſe viciſſim impedientia, perque flexuoſa, & fabuloſis imaginibus interſperſa circumductos eo quoſque trahit, ubi ſe nemo recognoſcat, ſed ipſà rerum univerſitate circumfuſus abſorbeatur, ac denuò conjunctus cum mente ſumma, ex qua delibatus eſt, ſe ſe Deum eſſe credat. Nam, ut ex ſenſu Platonis Tullius (*), Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit, & moderatur id corpus, cui præpoſitus eſt; ut minimè videri mi-

(*) *In ſomn. Scip. Cap. 8.*

mirum debeat, ſi tam multi ex hac diſciplina fanatici, lymphatique prodierunt, ac tam multa poëticis decora fabulis arrepta a poëtis avidè, & ad faſtidium uſque inculcata ſunt. Veteres itaque Academici divinæ eſſentiam naturæ concipere non valuerunt, Deum ſcilicet nedum primum omnium eſſe principium, verum etiam mentem ſolutam ac liberam ſegregatam ab omni concretione mortali, in qua vera providentia ſit atque juſtitia, quorum ratione ſtatuta dici poſſint virtutibus præmia, ſupplicia peccatis. Neque tamen in eo ſitus eorum erat error, quod materiam mundumque perpetuo donaverint atque intrinſeco ſenſu; ea quippe in ſententia & recentiorum plurimi, qui divinam illam æternæ mentis eſſentiam juxtà notionem veræ traditionis accipiunt, ultrò & quidem apertè verſantur, mundum viventem eſſe ſtatuam beneque cognoſcentem arbitrati, Cælum, ſtellas, lucem, aëra, metalla, lapides, ceteraſque orbis partes, partiumque particulas ſenſu donatas adſerentes, alias quidem clariori, obſcuriori alias; quod & cæleſtes relatè ad orbes Patrum aliqui faſſi ſunt; verum Athei audiunt veteres illi, quod æternum, liberumque ac infinitum immaginati

non

non ſint intelligens, ſive ſummum orbis Conditorem omninò ab materia, mundique partibus ſuam per eſſentiam immaterialitatemque diſcretum.

X. Enim verò qui Deum eſſe dixerunt mundum, hanc etiam machinam ſumma æternitate donarunt. Alii, etſi non æternum voluiſſent mundum, ejus tamen materiam æternam eſſe, quibus datum eſt, propugnaverunt telis. Nempe quum mundi, qualis modò eſt, conſtitutionem ab ſuo principio haud adeò abeſſe, tot illis dignoſcerent è mutationibus, quas infinita annorum ſerie eveniſſe neceſſum eſſet; ſi enim tot taleſque ab excidio Trojæ rerum in mundo fuere ſeries ac viciſſitudines, ſi tot eruta regna, tot capti fuere populi, ſi toties fortuna ſervitium & imperium tulit, varièque per orbem refovit, quot, inquam fuiſſent mutationes vertentibus ſeculis innumerabilibus, atque infinito temporis curriculo? Quumque obeſſe orbis æternitati univerſam animadvertiſſent cum barbarorum, tum civilium etiam populorum conſenſionem, viventemque modò hominum numerum, artes ſcientiaſque è cunabulis recens egreſſas, hiſtoriam recentis memoriæ, inaneſque illorum fabulas, qui mundum

dum majori quam par eſt donant antiquitate; non fuiſſe itaque illius formam, ita ut dicam, æternam ſtatuerunt, ſolum verò materiam, interminatum illud chaos, rudem ſcilicet inordinatæque materiæ confuſam concipientes congeriem, è qua iſtud tandem, quale modo eſt, prodierit univerſum. Hypotheſim verò iſtam quis a veritate magis elongari non videat, quam eorum alteram, qua totum dicitur eſſe æternum? Hæc quippe, præconcepta Numinis, æternæ ſcilicet mentis, infinitæque virtutis ab materia diſcretæ exiſtentia, vera cum ipſius idea conciliari quodammodo poſſet, certa ſi ſuper facto non obſtarent argumenta: qua quidem de cauſſa recentes Peripatetici non rectè ſapere arbitrantur, qui Stagyritam reſpuiſſe creationem docent; negaſſe quippe hominem ajunt, quod ex adventitio tantum atque forinſecùs eſt creationi, mundum ſcilicet temporis ſortitum eſſe primordium; ex æternitate verò rei materialis haud æquè probatum iri fuiſſe eam ingenitam; neque effectum ſua poſteriorem eſſe debere cauſſa duratione ac tempore, ſed ſolum natura. Imò quum Deus mundum potuerit condere æternum, id ſi reapſe voluiſſet feciſſetque, habuiſſe

eum

eum profecto majeſtate divina dignum finem concipere de facili eſſet, deſiderium ſcilicet ſua conferendi beneficia creatis, quo certè divinius nihil atque præſtantius. Aſt qui confuſam modo æternamque materiam fuiſſe autumarunt, haud coire cum naturali religione potuere; quum enim nullus concipi queat Deo dignus finis, ratione cujus eam ita condiderit, conſequatur oportet, eam natura ſua fuiſſe æternam, quo nihil abſurdiùs invenire eſt.

XI. Naturalem verò æternæ mentis eſſentiam Veteres ii, qui traditione caruere, non ob infinitatem modo concipere non valuerunt, verum ea maximè ratione, qua naturæ immaterialis notitiam vi luminis naturalis obtinere nullatenus poſſent. Hoc ex eo de facili dignoſcimus, quod & Genios, & animas hominum, eorum ſententia, in rerum numerum materialium videamus eſſe redactas. Enim verò certum eſt, non vulgares modò homines atque Poëtas, verum & Philoſophorum plurimos Geniorum exiſtentiam crediſſe. Itaque ut illa mittamus de muliercula,

Quæ ſe carminibus promittit ſolvere mentes,
Siſtere aquas fluviis & vertere ſydera retro;

Aut

Aut quum variæ illuſere ſpecies, atque ora ferarum; omniaque transformare ſe viſa ſunt in miracula rerum; ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem: uti de Lamia notum ajunt Menippi Licii Philoſophi, deque Meri incantatore, quem ille ſæpè viderat Lupum fieri, & ſe condere ſylvis; hæc inquam ut ommittamus, frequentia tamen apud veteres fuere ſpectra & audita portentoſa, nocturnique tumultus, ut quæ Dioni & Bruto vigilantibus evenere, terriculamenta, aut dormientibus Tiberio ajunt contigiſſe Attinio, & Artorio Cæſaris medico, quum Cæſar bello civili Brutiano implicitus dicitur eſſe ſervatus. Trium ſummorum Virorum ſomnia memorant Veteres, eaque pares habuiſſe exitus, eoſdemque qualia viderant, vera fuiſſe expertos. Quod enim Claudio, citeriorem antequam in Galliam moviſſet, & infeſta in urbem ferret arma, in ſomnis oblatum eſt, quum ſibi viſum per quietem fuit, intuliſſe matri ſtuprum, unde ampliſſimam ad ſpem ab conjectoribus excitaretur, dominium orbis ſibi dari interpretatis: idem ſomnium Hippiæ Piſiſtrati filio, qui tyranni ſucceſſor patriam crudelius occupavit, dum privatus adhuc re-

gium adfectat faſtigium, haud diſpari eventu oblatum fuiſſe tradunt. Siquidem nocturna ſpecies matris, cum qua coire videbatur, ſibi per quietem oblata fertur: qua de re imperium latè ſibi portendi, conjectores reſponderunt: ipſeque ſomnio monitus, & ſpei plenus, Athenarum dominio haud multo poſt potitus eſt. Hic eſt enim ille Hippias, qui tyrannidem non ſine immani ſcelere adgreſſus, patre impotentior effrænatiorque quum exul ſolum vertiſſet, impia contra patriam arma molitus fuit: denique cum Dario conſpirans in pugna Marathonia cæſus, pœnas patriæ & penatibus dedit. Alter verò ejuſdem Piſiſtrati filius Hipparchus, qui multorum tyrannorum ſævitiam anteceſſit, quum patriam & cives impotenti dominatu opprimeret, conjuratione in caput tyranni facta, ab Harmodio & Ariſtogitone fortiſſimis juvenibus non ſine omnium ſalute cæſus eſt, quorum devota libertati nomina, nequando ſervis indere liceret, Athenienſes publica deteſtatione ſanxerunt. Rurſus quod Aſtyagi Aſsyriorum Regi in ſomnis oblata ſpecies tulit, qui ex naturalibus filiæ vitem enatam, cujus palmite omnis Aſia obumbraretur, vidiſſe viſus erat. Quarè conſulti Arioli, nepotem

potem futurum, qui toti Aſiæ imperitaret, & regni ſibi oſtenderunt portendi everſionem: hoc nimirum Cyro Aſſyriorum Regi relatum inſomnium fuit. Nam maximum filiorum Hyſtaſpis qui Darius erat, duabus alis, altera Aſiam, altera Europam obumbrante per quietem ſibi intimum familiarem vidiſſe ſomnium ferunt: cujus rei imagine nulla fuit controverſia quin poſt eum Darius regno potiretur: id quod veriſſimo eventu conſequutum; Cyro quippe vita functo, Darius ex conjuratis unus, interfectis magis qui regiam occuparant, ſolus Aſſyriorum regno potitus fertur: cui miro ingenio præfuit, tantumque virtute effecit, ut illud majus auctuſque relinqueret. Cui inſomnio compar eſt Xerſis viſio, qui quum in Græciam duceret, olea cujus ramis omnis terra obumbraretur, coronari viſus erat, mox illa cum ſomnio evaneſcente (*a*). Hæc aliaque uti Matris Octavii, & Cambyſis ſomnia, ceteræque ſive fauſtæ ſive infauſtæ dormientium ſpecies ab Geniis ortæ apud Veteres audiere: unde Poëtæ illa: (*)

(*a*) *Alex. Neap. Dier. Gen. Lib. III. Cap. 24.*
(*) *Epod. V.*

Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus
(Quæ vis Deorum eſt marium)
Et inquietis aſſidens præcordiis
Pavore ſomnos auferam.

Hoſce autem genios minimè ab veteribus corporis expertes habitos indubium eſt, quod modò craſſioribus, tenuvioribus modò exuviis adparerent; ejuſdem iccircò dictos naturæ cum monſtris illis, quæ nemorum in ſpecubus & antris delituiſſe fama olim erat; hyppographis ſcilicet atque Centauris, Serpentibuſque alatis, ſive Draconibus per aëra volitantibus: quarè complures inferiorum Gentium Deos, aut hircina ſpecie, aut hirco proxima cultos ſcimus, quos & aliquando deperiſſe feminas delicatioreſque pueros aliqui tradidere. Ejuſmodi, uti innuebam, ſubſtantias, ab Philoſophis etiam, materiales exiſtimatas, ex iis evincere eſt, quæ de oraculis non ſemel divinationibuſque, iis maximè quæ per ſomnia captabantur, Stoici definivere; eas enim tametſi aucupari aliqui autumarent, quod ſe ab Deorum natura hauſtos animos ac delibatos habere cenſerent, omniaque completa fore atque referta æterno

no ſenſu ac mente divina, iccircò divinorum cognatione animorum humanos animos commoveri, ſeque ab corpore avocare, ut ad unionem cum anima mundi, & totius infinitatis intelligentia raperentur: alii tamen divinationes haberi credebant, quod plenum aërem exiſtimarent immortalium animorum, qui quoniam, vaporis inſtar, tenues eſſent atque ſubtiles, inſinuarent ſe occultè corporibus hominum, unde mentem furoribus quaterent, & ſomniis aliquando terrerent; aut ipſi ad dormientes Genii venirent invocati, & cum iis colloquerentur. Naturas itaque illas omnes, quas ſuprà humanam Stoici admittebant, Deoſque, uti ajebant, immortales corporibus coaleſcere, abſque univerſali illo mundi rerumque omnium immanente principio, virtute ſcilicet infinita materiæ, habuiſſe ortum arbitrati ſunt. Enim verò, qui unicam illam mundi, quam & Dei vocabant, modò adgnovere ſubſtantiam, hominum etiam animos particulas eſſe dixere entis immenſi ac infinitæ rerum omnium virtutis, ſive animæ mundi & divini quodammodo ſenſus:

Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus

Æthe-

Digitized by Google

Æthereos dixere ; Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris , cœlumque profundum :
Hinc pecudes , armenta , viros , genus omne ferarum
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas . (*a*)

Alii tametſi in illa ſubſtantiæ univerſalis ſententia minimè verſarentur , immaterialis tamen eſſentiæ , non dicam idea , qua nos etiam caremus , ſed aliquali etiam imperfectaque notitia fuere prorſus expertes ; ſcilicet principio illi quo homo intelligit atque deſiderat, nonnulli aëris naturam tribuere viſi ſunt , ignis alii , alii lucis , aquæ etiam nonnulli . Plurimi hominis animam quatuor eſſe voluerunt rerum mixtionem , igneæ , aëreæ , ſpiritalis , & quartæ nomine carentis , quæ ſentiundi vim indicavere : Alii igneam dixere mixturam rerum ratione percipiendarum , quæ globoſas quidem formas habeant , vim autem igneam , id quod ſit corpus : Aliqui aliis omninò verbis , rem utique materialem perpetuò indicantibus naturam animæ definivere ;

(*a*) *Georg. Virgil. Lib. IV.*

vere; ſcilicet inter materiæ proprietates virtutem etiam cognoſcendi ennumeraverunt; quod ut facilè de veteribus immaginemur, argumento in præſenti ſunt Lockius (*), atque Voltaire (*a*), evincere conati non ſemel, negari a nobis haud poſſe, poteſtatem Dei infinitam ita conſtituere materiam valuiſſe, ut eadem connaturali modo cognitionem eliceret, ſive materiei, modo nobis imperſpicuo, aliquam potuiſſe Deum unire cogitandi capacitatem: plures eſſe ab materia, juxtà nos etiam, prodeuntes effectus, quorum producendorum vim in ea eſſe fateri omnes notum eſt, virtutis autem illius eſſentiam ignorari: neque neceſſe eſſe qualitates materiæ omnes eſſe humanis circumſcriptis nimium mentibus notas: juxtà demum rationis effata atque cognoſcendi principia adfirmandum ſatius, materiam vim habere volendi ac intelligendi, quam aliam effingendam nobis inconceptibilem omninò incompertamque ſubſtantiam, cujus ſcilicet non habemus, neque habebimus æternum ideam. Hocce itaque ſi ſeculo, quo, poſt invectam animis traditionem, immaterialis exiſtentiæ natu-

---

(*) *Spec. Int. hum.*
(*a*) *In Epiſt.*

naturæ extrà dubitationis aleam jam poſita videbatur, aliquos adhuc placet materiam facere cogitantem; quum falſa videantur non ſemel probabiliora veris, idipſum credere par eſt veteres exiſtimaſſe Philoſophos, omni iccircò immaterialitatis notitia caruiſſe. Quum verò phyſicam divinæ naturæ eſſentiam dignoſcere conarentur, nec niſi materialium ideam rerum efformare valerent, conſequens profectò erat, aut nullum admittere eos intelligens omninò immateriale ſimplex, diſcretumque a rebus quibuſcumque creatis, abque ipſa materiæ virtute principium, materialem iccircò Deum veluti dicere, ſcilicet mundum, aut plures è materiæ ſinu eductos ac genitos; coire nempe fecerunt aliquando atheiſmo ſnperſtitiones, aut aliquam materiæ ac elementorum partem, uti tot edita oſtendunt atque vulgata, hac ſuper re, non tam ſomnia Veterum, quam deliramenta.

XII. Atomiſtarum nonnullos ab atheiſmi nota vindicare perrexit Cudwortus (*a*), arbitratus ſcilicet immateriales eos immaginatos fuiſſe ſubſtantias; illud imò atomiſtarum ſyſtema aptius eſſe ceteris conatur oſtendere ad

(*a*) *In Syſtem. Intellect.*

ad demonſtrandam æterni Numinis exiſtentiam, eos maximè relatè ad philoſophos, qui ſuas atomos omni nudabant virtute, formis, & qualitatibus. Exiſtimaſſe itaque eos docet, divinam infinitam mentem, eamque prorſus intelligentem, & ab atomis quibuſcumque diſcretam, extrinſeci inſtar ac dirigentis principii, omnium fuiſſe initium, eamque cauſſam & omnium dominam, & ordinem confuſis præbuiſſe, & motionem immobilibus, & diſcrimen commixtis, & ornatum inornatis. Cujus equidem conſilium, amabile apud nonnullos audit, quod explicandi ſint, non malè interpretandi, qui humanæ nobis jecere fundamenta ſapientiæ. Verum non eam omnes trahere potuit in ſententiam Cudworthus, quod Scriptorum mens animuſque, non è propoſitionibus heinc inde congeſtis (ejus qui labor eſt) ſed è doctrinæ nexu & repetitis adſertionibus ſumi debeant atque dignoſci; nec ſingulis vocibus Philoſophi ſpectandi ſint, ſed perpetuitate atque conſtantia. Atheorum enim ab cenſu eos ſi abdicare placeat, qui nomine Deus uſi ſunt, totidem vix erunt reliqui, quot erant Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili; eam quippe uſurpavere vocem ii non ſemel, qui

Digitized by Google

non aliam quam mundi adgnovere ſubſtantiam ; eo quidem deteſtabiliores , quod de Deo , diviniſque de rebus magnificè diſſeruere, quo per religionis ſimulationem facilius imperitis obreperent. Cudworthus ipſe quatuor Atheorum ſpecies, veteres inter Philoſophos ennumeravit ; illi ſcilicet obſervatum , plurimorum etiam doctrinam , apud quos inanes dii admitti videbantur, vero ab atheiſmo nullatenus eſſe diverſam ; Deos videlicet quid principio veluti obnoxium & fini reſpexiſſe : voces animus, ſpiritus, aër, æther ad animam mundi , virtutemque materiæ deſignandam uſurpaſſe. Et ante quidem Cudworthum , exorienteque chriſtianæ doctrinæ luce nonnulli hujuſce nominis Patres, Philoſophos quoſcumque veteres. Deum ens omninò a materia ac neceſſitate liberum faſſos dixere , Minucius præſertim Felix in Octavio, qui , Recenſeamus, ait, ſi placet, diſciplinam Philoſophorum, deprehendes eos, etſi ſermonibus variis, ipſis tamen rebus in hanc unam coire & conſpirare ſententiam. Omitto illos rudes, & veteres, qui de ſuis dictis ſapientes eſſe meruerunt : ſit Thales Mileſius omnium primus , qui primus omnium de cæleſtibus diſputavit . Idem Mileſius

ſius Thales rerum initium aquam dixit: Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit: & altior & ſublimior aquæ, & ſpiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri a Deo tradita. Vides Philoſophi principalis nobiſcum penitus opinionem conſonare. Anaximenes deinceps, & poſt Apolloniates Diogenes aëra Deum ſtatuunt infinitum & immenſum. Horum quoque ſimilis de divinitate conſenſio eſt. Anaxagoræ verò deſcriptio, & modus infinitæ mentis Deus dicitur: & Pythagoræ Deus eſt animus, per univerſam rerum naturam commeans, & intentus: ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem notum eſt omne infinitum cum mente Deum tradere: & Anthiſtenem populares Deos multos, ſed naturalem unum præcipuum. Speuſippum vim naturalem, animalem, qua omnia regantur Deum noſſe. Quid Democritus, quamvis atomorum primus inventor nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat & intelligentiam Deum loquitur? Straton quoque & ipſe naturam. Etiam Epicurus ille, qui Deos aut otioſos fingit, aut nullos, naturam tamen ſuperponit. Ariſtoteles variat, & aſſignat tamen unam poteſtatem;

nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Ariſtoteles Ponticus variat, alias mundo, alias menti divinæ tribuens principatum. Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem (quamvis variè) adſcribit. Theophraſtus, & Zenon, & Chryſippus, & Cleanthes ſunt & ipſi multiformes, ſed ad unitatem providentiæ omnes revolvuntur. Cleanthes enim mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem Deum diſſeruit. Zenon ejuſdem Magiſter naturalem legem atque divinam, & æthera interim, interdumque rationem vult omnium eſſe principium: idem interpretando Junonem aëra, Jovem cælum, Neptunum mare, ignem eſſe Vulcanum, & ceteros ſimiliter vulgi Deos elementa eſſe monſtrando, publicum arguit graviter, & revincit errorem. Eadem ferre Chryſippus vim divinam, rationalem naturam, & mundum interim, & fatalem neceſſitatem Deum credit, Zenonemque interpretatione Phyſiologiæ in Heſiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni diſciplina eſt exponendi, & diſſerendi, Jovis partum, & ortum Minervæ, & hoc genus ceterarum rerum vocabu-

cabula eſſe non Deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri poſſe, & ideo quæri non oportere: Ariſto Chius comprehendi omnino non poſſe. Uterque majeſtatem Dei intelligendi deſperatione ſenſerunt. Platoni apertior de Deo & rebus ipſis, & nominibus Oratio eſt: & quæ tota eſſet cæleſtis, niſi perſuaſionis civilis nonnunquam admixtione ſordeſceret. Platoni itaque in Timæo Deus eſt ipſo nomine, mundi parens, artifex animæ, cæleſtium terrenorumque fabricator: quem & invenire difficile præ nimia & incredibili poteſtate, & cum inveneris, in publicum dicere impoſſibile præfatur. Eadem ferè & iſta quæ noſtra ſunt: nam & Deum novimus, & parentem omnium dicimus, & nunquam publicè niſi interrogati prædicamus. Expoſui opiniones omnium ferè Philoſophorum, quibus illuſtris gloria eſt, Deum unum multis licet deſignare nominibus: ut quivis arbitretur aut nunc Chriſtianos Philoſophos eſſe, aut Philoſophos fuiſſe jam tunc Chriſtianos. Hæc Minutius, cui profectò accidiſſe videtur, quod peſſimè diſputantibus evenire ſolet, ut dum cauſſam, qua de agitur, confirmare pergunt, infirment. Ille enim dum pia veluti

luti fraude, unitatem Numinis infiniti apud Gentilium Vulgus populari argumento, ſcilicet ex vetuſtate ſententiæ, demonſtrare conatur, doctos profectò, & Philoſophorum veterum ſenſus probè, aut ejus etiam ex interpretatione rimantes, rapuiſſet in deteriora. Tam enim ejuſcemodi ſententiis Philoſophorum divina demum dignoſci poteſt eſſentia, quam carminibus illis Poëtarum, quibus quum evidentius nihil adferri poſſit ad explicandum veterem Spinoſiſmum, ille, diſſimulanter arbitror, ad evincendum uſus tamen eſt nos inter vetereſque Philoſophos ſententiæ conſenſum; quum reapſe non de nominibus, ſed utroſque intereſſet tota de poſſeſſione contentio. Et ea quidem ratione plurimi Veteres pænè omnes, Academicos maximè, non Atheos quidem, ſed Theiſtas modo fuiſſe contendunt, quod animam mundi Deum eſſe dixerint, aut vim illam abditam humanas res obterentem. Sed ea, obſecro, ratione quis erit atheus, quis non religioſus? Vel Spinoſiſtæ talem Deum & fatentur & credunt. Deum ſcilicet ita homines curantem, ut vermes quos habent in ſe curare homines ſolent, & cujus univerſitati humanus demum ſpiritus è corpore ſepara-

paratus commiſceatur, & cum ea confundatur. Ego contra divinum Numen & negare & irridere eos arbitror, qui talem ejus ideam non admiſerint, ut & ſeparatæ mentis, ordinis, juſtitiæ non incluſerit adtributa, & humanorum inde animorum ab eo diſtincta non conſequatur eſſentia, & immortalitas. Enim verò hominum tametſi Deum infinitè immaterialem, intelligentem atque beatum imperitè negantium numerum exundantem nimis aliqui faciant, quod & recentiorum plurimos Numinis utique cultores, atheiſmi ac irreligionis facile nimium immeritoque prorſus inſimulent, ecquis eos tamen veritati acceſſiſſe exiſtimet, qui inficiati ſunt vel unum eſſe poſſe aut fuiſſe umquam, qui divinam illam intelligentem ignoraverit æternæ mentis naturam? Illudverò mirum, ab hiſce ſcilicet, qui atheiſmum dari poſſe negarunt, impugnatum tamen eum, ac debellatum iri, illius inſtar Guixotii a Manica, qui nihil niſi Gyganthomachias ex Amadiſiorum lectione ſomnians, ipſas in moletrinas, ceu Gygantes debellandos, fortiter incurrebat.

XIII. Etſi verò veterum Philoſophorum aliqui Deum reapſe unum adgnoverint, infinitum, intelligentem ac providentem, eum-

que

que immaterialem omninò, atque incorporeum, quod inficiari pænè non auſim, cum quod eorum omnium ſcrutari mentem in ea, qua laboramus, monumentorum inopia, atque ambiguitate verborum facilè non ſit; qua quidem de cauſſa præſtantiores etiam è recentioribus, qui veterum in ſcriptis Philoſophorum adprimè verſati ſunt, in adverſas videmus eorum de placitis ac mente ſententias eſſe diſtractos; tum etiam, quod non ille mos eſſet antiquis, ut in omnia ſectæ, cui nomina dederant, effata religiosè deſcenderent; ut inquam unum immaterialeque ac liberum cognoverint eſſe principium, ejusque providentiam univerſum erga genus humanum rimati probè fuerint ac contemplati, haud potentem ſatis tamen ejuſmodi fuiſſe arbitror cognitionem naturali inſtituendæ legi atque hominum ſocietati. Quum enim illi caſu potius quam ſcientia ſummas illas incidiſſent in veritates, aut eas è vi potius ac ſpeciali mentis ſolertia, quam è regulis artis, aut conſtante principio, aut (quod neceſſum erat) certa traditione fuiſſent indepti; heinc eaſdem veritates rudioribus ceteris, atque univerſo hominum generi, certas firmaſque ac demonſtratas efficere potuiſſe,

ſe, difficilè nimis ut concipiamus. Poſteros itaque nulla, quam tenere certò potuiſſent, reliqua fuiſſet ſemita, quum neque illam fortaſſe adgnoviſſent, per eam inconſultò progreſſi, & ad metam inordinatè perventi. Heinc vix patefacta aliquando lux evaneſcere viſa; Dialectica quippe, quam Stoici deperibant, ac Peripatetici, ſummis adeò veritatibus inquirendis indipiſcendiſque apta non erat, tricis ſcilicet, apinis, ſomniiſque referta, rixoſaſque detorta ad altercationes hiſtrionica ineptiores: unde in Philoſophos illos ſi quando quis incidiſſet, deceptum ſe vidiſſet indicibus Librorum, quod quum inſcripti de rebus præclaris eſſent & illuſtribus, de natura nempe divina, de virtutibus omnibus, æquitate præſertim atque juſtitia, de honeſtate ac ſanctitate morum, de fortitudine atque conſtantia, verbum prorſus nullum intelligerent, ita erant argutis ea, & conciſis diſputationibus inligata, atque congeſta.

XIV. Ceteras verò relatè ad perfectiones divinas, quibus humana probè conſtituitur ſocietas atque firmatur, Veteres erraſſe plurimum ipſa demonſtrant cum Atomiſtarum, tum etiam Academicorum effata.

Enim verò ut rectè & juxtà rationis principia operemur, impellamurque vel inviti ad virtutis ac ſocietatis officia, ſat potens eſſe æternæ mentis, veluti rerum omnium perennis originis atque principii, contemplativa cognitio non poteſt, niſi & aliqua ea in natura concipiantur attributa, quibus digna omninò ſit, quæ ametur, ac timeatur. Poſterior immo hæc, utpote practica divinæ naturæ cognitio, majori vi atque conatu ad juris officia conducit, quam prior illa inchoata veluti ac vaga exiſtentiæ ejus ac immaterialitatis. Quum enim triplici modo res adtingere ſoleamus, aut ſcilicet per ſenſus, aut per intellectum, aut etiam per voluntatem, majoremque animadvertamus eſſe intellectus amplitudinem & capacitatem, quam ſenſuum; majorem item voluntatis, quam intellectus, major inde ineſt nobis ad intelligendum facultas, quam ad ſentiendum: major item ad volendum, optandum, & amandum, quam ad intelligendum. Deus itaque magis a nobis amari vult, quam cognoſci; magis item cognoſci, quam ſentiri; perfectè enim amari vult, aliqua tantum ex parte cognoſci, nullo modo ſentiri. Relatè verò ad ſocietatem non amari modo cupit, verum etiam time-

timeri, vindexque adverſus Oſores audire, dum ſaltem erit animus poſt fata ſuperſtes; ſi enim ſecus opinari fas eſſet, quod adulterium, quod ſtuprum, quæ libido non ſe proriperet atque projiceret, aut occultatione propoſita, aut impunitate, aut licentia?

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Quid inde, obſecro, humanas ſi præter leges aliud nihil eſſet verendum? Nulla profectò res perſuaderi potuiſſet iis, quibus perſuaſum denique fuiſſet mori. Statuendum itaque commercium, illudque ſanctiſſimo æque ac neceſſario conſilio, ad homines in ſocietate continendos inſtitutum, humanum inter genus & æternum numen, ſive honeſtos inter actus & præmia, inhoneſtos inter atque ſupplicia, quo utique è commercio providentia divina inducitur atque juſtitia, & cum iis, anima & virtus opportuna legis, ſcilicet obligatio, è qua naturalis pendet felicitas ſocietatis. Enim verò qui traditione ignorata, ſoliuſque vi luminis naturalis, aliquid de divinæ naturæ adtributis ſtatuere conati ſunt, placita poſuerunt aliquando in-

commoda ſocietati. Ludens in re ſeria Epicurus, Deoſque faſſus, quos inde poſſet meritò irridere, omnem ab illis erga cetera providentiam dicitur abſtuliſſe, Rondellus eſto vulgares inter errores eam referendam oſtendere conetur opinionem, pergatque animos in oppoſitam inducere (*). Utut tamen Epicuri de mente fuerit dubitandum, Epicurei profectò ceteri proprium illud naturæ divinæ adtributum, ejuſdem, uti ajebant, ob perfectionem evertendum auferendumque ab eodem exiſtimavere, alienum veluti id eſſet majeſtate Deorum, caſas ſcilicet omnium introſpicere, ut viderent, quid cuique conduceret; irriſeruntque omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum & plenum negotii Deum;

Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe;
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Hæc vero ad Anticyras releganda ſententia adeò

(*) *Tract. de vit. & mor. Epic.*

adeò ſocietatis conditioni adverſa erat & legibus, ac divinæ negatio naturæ. Quid enim diſcriminis inter ignorare Deum, illumque voce tenus admittere, reapſe tollere? Deus enim abſque providentia Deus non eſt, neque otioſus Deus ad bene naturaliterque vivendum, aut per præmia, aut per iras impellere homines poteſt; quod neceſſarium ſocietati. Jam enim, ut ait Tullius (*), eorum ſi vera eſt ſententia, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? hæc enim omnia purè & caſtè tribuenda Deorum numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, etſi eſt aliquid a Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii neque poſſint nos juvare, nec volunt, nec curant omninò, nec quid agamus animadvertunt, nec eſt quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem fictæ ſimulationis, ſicut reliquæ virtutes ita pietas ineſſe non poteſt, cum qua ſimul & ſanctitatem, & religionem tolli neceſſe eſt: quibus ſublatis, perturbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio. Atque haud ſcio an pietate adverſus Deos ſubla-

(*) *Lib. I. de N. Deor.*

ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollatur. Hæc ille egregiè, ſi non de Diis, ſed veriùs de Deo fuiſſet loquutus. Quamquam etſi adverſus Epicureos in tota illa diſputatione optimè diſſerat Tullius, in eo tamen deficit, ut ſublata cæleſti providentia, auferri quoque divinæ naturæ gratiam atque beneficentiam humanum erga genus oſtendat, nihil tamen divinæ iræ, ſeu potius juſtitiæ metu memoret, ſocietati hominum continendæ adeò neceſſario; ſocietas quippe, poſt infelicem ac rebellem factam, Adami labe, hominis naturam, nulla eſſe conſtanter poteſt, ubi metus nullus eſt. Reapſe homines non tam compellerentur in vitia, quod nulli Deo ſe eſſe curæ exiſtimarent, quam quod nullum paverent ſcelerum vindicem atque injuſtitiæ. Aptè itaque omninò Lactantius (*), vindicta Dei detracta, tolli oſtendit omnem utilitatem vitæ communis. Quid, inquit, erit homine truculentiùs, quid immitiùs, ſi demto metu ſuperiore, nulloque cupiditates noſtras coercente Deo, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei ſolus eſt, qui cuſtodit

(*) *Lib. de Ira Dei.*

ſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor aufertur, ſi fuerit homini perſuaſum, quod iræ ſit expers Deus; quem moveri ac indignari, cum injuſta fiunt, non modo communis utilitas, ſed etiam ratio ipſa perſuadet. Ego verò arbitror Epicureos illos haud alia de cauſſa Numinis è medio tuliſſe providentiam, niſi quod reapſe divinam naturam admitterent nullam, quæque de Diis immortalibus edixere, invidiæ declinandæ cauſſa ac populariter protuliſſe; veteri quippe in philoſophia, fatum, providentia, fortuna, natura, Deus atque neceſſitas adpellationes erant aut munera ejuſdem eſſentiæ; quare plurimi divinam ut tollerent naturam, aut ſaltem in dubitationem vocarent, fatum minimè admiſere.

XV. Stoici è diverſo pro divinæ naturæ adtributo, ac ſuprema veluti deorum, uti ajebant, immortalium providentia ac lege, fatum propugnantes, naturalis principia ſocietatis haud minus evertere, ac qui æternum eſſe inficiati ſunt omnium Conditorem atque Moderatorem Deum. E' Chaldæis proceſſiſſe impiam hanc fati doctrinam non inaniter creditum, defluxus ſcilicet inceſſanter cæleſtibus è corpori-

poribus emanantes, ſive omnia implentem ac agitantem, omnibuſque circumfuſum cæleſtem ſpiritum edocentibus; exque Chaldæis ad Græcos, inde ad Latinos aliquos, quorum ſententia erant Jovis omnia plena, æternaque creditum conſtitutione, & nexu latentium cauſſarum, multoque ante deſtinatarum, ſuum quemque ordinem inevitabili lege percurrere, unde quod fore paratum eſſet, id ſummum etiam exſuperare Jovem. Fucum itaque fecere Stoici dum divinæ providentiam naturæ, ejuſque ſimulavere placita atque decreta; ejuſmodi quippe verbis fatum intellexere, ac inevitabilem naturæ neceſſitatem, ea ſcilicet ratione, qua recens ille Atheus Spinoſa, qui veterem illum diverſis adeò formis circumveſtitum, communemque Atomiſtis pænè & Academicis, geometrica methodo donavit atheiſmum, Dei quidem ait aliquando de directione, verum intelligere ſe ſubdit, fixum modo & immutabilem naturæ ordinem, ſive rerum naturalium concatenationem & inexuperabilem nexum, legeſque naturæ univerſalis, ſecundum quas & fiunt, & determinantur omnia, nihil omnino eſſe niſi æterna Dei decreta, quæ æternam perpetuò veritatem atque neceſſitatem invol-

involvunt; Deumque rerum omnium immanentem, ut ajunt, cauſſam eſſe, non verò tranſeuntem veteribus cum philoſophis ſtatuere ſe faſſus, eaque modo ratione vivere in Deo omnia, moveri, & eſſe (*). Hoc itaque pacto providentia abs Stoicis propugnata, unde meritò notati inter recentiores illi, qui Romanorum Græcorumque carmina poëtarum, quibus de voluntate aliquando agitur, ac ſuperiorum in ſublunaria atque humana defluxu, eorum cum ſententia conciliare conantur, qui aliquam ſe, per abſtractiſſimas ac inanes ideas, relinquere credunt in homine libertatem. Enim verò ſtatuta neceſſitatis illa, ſive fati crudelis doctrina, nulla quidem ratione ad vera humanæ legis ac ſocietatis officia aut trahi poſſent homines, aut etiam impelli. Si enim temperantia, fortitudo, prudentia, juſtitia fati decretis, non noſtræ tribuenda etiam ſit electioni, ac liberis voluntatibus, jam non ex adſidua virtutum lucubratione, ſed è ſolis naturæ defluxibus pendeamus oportet. At contrà ſi quis pietatis charitatiſque vinculum ruperit, & conciliationis humanæ jura neglexerit, totum ſe feritati perfidiæque tradiderit, faci-

H nus

(*) *Tract. Theol. Polit. Epiſt. ad Oldemb.*

nus ſuum, & animi perverſas cupiditates ſecurus fati judiciis adſcribat. Sit iniquus, ſit perfidus, ſit malevolus, ſit irreligioſus, quia hæc vitia non erunt, quum omnes actus humani ineluctabilibus fati agitationibus gubernentur. Hæc autem omnia naturalis tollunt principia legis ac ſocietatis; nulla quippe exſtante humanis in actibus libertate, conſequi nullum poteſt præmium aut pœna, nullaque eſſe obligatio. Quam quidem libertatem ii etiam evertere, qui duorum, boni ſcilicet malique independentium principiorum exiſtentiam docuerunt. Plurimos apud Philoſophos populoſque, Perſas maximè (quos tamen Hyde è ſymbolis arcanorumque velamine ab impactis per Poſteros notis vindicare perrexit (*); illud obtinuiſſe olim placitum credidere ſapientes, quibus inverecundas equidem Scriptores nuperi tulere ſuppetias, dum non naturali modo intellectus vi æternæ mentis atque principii unitatem cognoſci haud poſſe autumarent, verum etiam Unitariorum quidem, uti ajunt, objectis, ſatis eos haud facere poſſe faterentur, qui in independentium principiorum ſententia hodieque verſantur, aſt in ſtatuendo ſyſte-
mate,

(*) *Hiſt. Relig. Veter. Perſ.*

mate, adverſariiſque oppugnandis, tot eos jampridem feciſſe progreſſus gloriati ſint, ut de Philoſophia eorum, qui unum modo arbitrati ſunt eſſe poſſe principium, ruina (uti Bælius non ſemel) Peana canere fas ipſis videatur. Enim verò duobus poſitis cum diverſarum rerum, tum etiam disjunctis actuum principiis, ſublata etiam ſunt ſocialis vitæ fundamenta omnia, bonitas ſcilicet ac pravitas objectorum, laus omnis ac vituperatio, ſpes denique ac metus; quippe quæ adverſus ſocietatem peragi actiones poſſunt, è principio mali neceſſariò proveniunt; ablata verò libertate peccare neminem certum eſt.

XVI. Stoicorum porrò atque Epicureorum errores in adtributis divinæ naturæ explicandis, è priori illo manavere de univerſali ſubſtantia, Deo mundoque communi, quod adverſus principium nonnulla, antequam progrediamur, adferre in animo eſt; humana quippe mens primum naturaliter habere videtur poſſe ſapientiæ gradum, qui eſt res non veras falſitatis arguere, alterum, qui eſt vera intelligere, ſine traditione non poteſt. Et eum quidem errorem plurimi jamdiù feliciter oppugnavere, Petrus præſertim Poiretus, qui in fine Tractatus de Deo,

anima, & malo, geometrica uſus methodo, Poſtulata ſua Spinoſæ poſtulatis, axiomata axiomatibus, finitionibus finitiones oppoſuit, immò, ad hominem, ut ajunt, plurimas ſpinoſianis ex finitionibus eſſe oportere oſtendit ſubſtantias; tametſi geometricam illam methodum minus metaphyſicis in rebus prodeſſe poſſe, ubi de Philoſophia egit Veterum, Matthæus Doria evidentiſſimè demonſtravit. Enim verò etſi in ſententia verſemur eorum, qui haud ſe rectè ſentire fatentur, inconſiderato quodam veritatis ſtudio nonnullos, vulgari non ſemel dialecto, perverſi dogmatis exagitare pergere deliramenta; metuendum quippe, ac prudentiſſimè metuendum, ne niſi Sapientum linguæ velamine, verborumque non vulgarium ſub involucris res ejuſmodi occultentur, inſipientum hominum cieatur inopportuna cupiditas, illud intelligere vt velint, de quo ſermones diſputationeſque conſerere ſolum eſſe debet inter Philoſophos præſtantiſſimorum; ea, inquam, licet in ſententia verſemur, minus tamen placet Bælianum effatum, quo Spinoſianum illud, veterum ſcilicet omnium Atheiſtarum ſyſtema, nulla ratione in diſputationem rapiendum dicitur, neque a do-

ctis

ctis etiam oppugnandum; ne ſcilicet quæſtiones ejuſmodi tenebricoſas in opinationes animum inducant, Solis inſtar verno tempore exorientis, qui vapores facit, quos non inde poteſt vi ſua diſpellere. Plures, inquit Bælius (in excerptis, ubi otia exhibet theologica Villelmi Seldeni) Spinoſianum errorem ab omnibus falſitatis argui optarent; profectò non dicam prudentiſſimè. Eos è diverſo pluribus laudo, qui rem ejuſmodi intactam amant atque prætereunt. Aut enim Philoſophus ad Ceritum tabulas redactus de natura univerſalis illius omnibus intimæ ac circumfuſæ ſubſtantiæ agere perget, aut Vir potius acumine ac ſolertia mentis, ſeriaque eruditionis copia ornatus? Prior certè proficiet hilum: alter verò inexſtricabile chaos illud dum enodare conabitur, tenebricoſam obſcuramque & paucis intellectam Atheorum doctrinam intelligibiliorem efficiet; ex quo aliquis fortaſſe ex antiſpinoſiano ſpinoſianus evadat, aut qui voce tenus hominis videbatur eſſe ſectator, victas inde illi reapſe det manus, omnium utique malorum ſcyrma. Hæc ille, ab quo, ſi ſublatum è vivis haud ſcirem, inquirerem profectò, exiſtimaret ne copioſum illud, quod ejus circumfertur nomine

mine Lexicon, excerptaque literaria ad uſum etiam rudiorum, mulierumque conſcripta, eo fuiſſe perfecta conſilio, ut aliquam ferre valerent cum jucunditate conjunctam utilitatem? Quot tamen in illis compendioſè ſunt dicta? quot perfunctoriè ac per tranſennam pertractata? Quot pauca aliquando (utinam non inſidioſiora) è multis excerpta? quot minimè enodata objecta in iis etiam, quæ de Deo agunt, ejuſque adtributis, de hominum animis, ac origine mali? Profectò nimius ille Bælii timor Atheorum placitis plus æquo videtur, tacitè quamvis & obliquè, tribuere; deque cauſſa eorum, qui æternæ mentis primique rerum omnium principii exiſtentiam cum ſimplicitate & immaterialitate, providentiamque cum libertate & ſanctitate conjunctam, ceteraſque credunt divinas perfectiones, veluti dubitare: Neque enim quæ ad Atheorum opiniones falſitatis evincendas in medium proferuntur, tribunitia ſunt argumenta, quum & ii, qui mundanam hance adſpectabilem ſubſtantiam Dei cum æterna ac immutabili eſſentia confundunt, nonniſi in inter ſe oppoſita dilabentur; quod è ſola totius Spinoſiani ſyſtematis cognitione eluceſcit, uti animadverſum optimè clariſſimo Luc-

chio

chio in Spinoziſmi ſyntagmate. Duo, inquit, (*) quantum ego intelligo, Spinoſiano in ſyſtemate præcipuè ſpectanda ſunt. Primum idemque præcipuum, unam dumtaxat, Spinoſæ ſententia, eſſe in rerum natura ſubſtantiam, quam Deum nominat, cujuſque proprietates primariæ, ſeu attributa ſunt cogitatio, & extenſio, ad quas particulares res, velut modi ſequuntur, quæ proinde in Deo ſunt, ut in immanente cauſſa. Alterum eſt, Deum ex ſolis ſuæ naturæ legibus, hoc eſt ex abſoluta naturæ ſuæ agere neceſſitate. His duobus omnia (aut ego vehementer fallor), Spinoſa ſuperſtruxit, quæ de Deo, & hominis animo conſcelerata mente in Ethica commentus eſt. Ac primò illi vulgatis quatuor propoſitionibus fundamenta jecit, nimirum: Haud poſſe in rerum natura duas dari, pluresve naturæ ejuſdem, ſive attributi ſubſtantias: unam ſubſtantiam produci ab alia non poſſe: pertinere ad ſubſtantiæ naturam exiſtere: omnem ſubſtantiam eſſe neceſſariò infinitam. Haſce enim ſponte conſequitur, unam tantum eſſe in rerum natura ſubſtantiam. Quid porrò ſubſtantiæ nomine intellexerit ipſe, & intelligi voluerit haud difficile

(*) *pag.* 28.

cile dictu eſt. Ac ſedulò quidem cavit impuratus nebulo, ne ſubſtantiæ nomine, materiam, aut mundum ſignificare voluiſſe videretur. Sæpè propterea ab amicis, aliiſque philoſophica ſectantibus, quam de Deo ſententiam ferret rogatus: num in materiam, aut mundum divinitatem compelleret? tergiverſando, & cavillando eorum poſtulata elusit: & materiam quidem non eſſe indignam divina natura pronunciavit, mundum autem neceſſarium eſſe divinæ effectum naturæ; ſed horum alterum ne Deum habere crederetur, veteratoria calliditate egit. Fruſtrà tamen; nam & ex iis, quæ in Tractatu theologico politico, & geometrica demonſtratione principiorum Carteſii aſſumſerat, pervium cuiquam erat inferre, Spinoſianum Deum materiam eſſe; & hoc non invitus in Ethica ipſe profeſſus eſt apertiſſimè. Si enim mundus neceſſarius eſt divinæ naturæ effectus, & quicquid eſſe remur, in Deo eſt, & nihil ſine Deo eſſe, aut concipi poteſt, nullaque præter Deum eſſe, aut cogitari poteſt ſubſtantia, quis adeò hebes, ut profluentem inde conſequutionem non videat, mundum ſcilicet eſſe Deum, & è converſo, divinitatem, mundi ſubſtantia, quæ materia
eſt,

eſt, contineri? Atque hæc quidem ad ejus mentem utcumque perſpiciendam ſatis eſſe: quo clarius tamen penitiuſque inſpiciatur, id accipiendum eſſe, ſubdit (*a*), quod de natura naturante, & natura naturata tradit; ita enim inter utramque diſtinguit, ut natura naturans, quam Deum appellat, id ſit, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, ſive talia ſubſtantiæ adtributa, quæ æternam, & infinitam eſſentiam exprimunt: natura verò naturata, id omne, quod ex neceſſitate divinæ naturæ, ſive uniuſcujuſque divini adtributi ſequitur; omnes ſcilicet Dei adtributorum modi; quatenus conſiderantur ut res, quæ quicquid ſunt, in Deo ſunt, ſine quo, nec eſſe, nec mente comprehendi queunt; res verò, in quibus varia, & multiplex eſt naturæ facies, nihil eſſe aliud quam modos adtributorum Dei latius demonſtrare perrexit. Porro id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, nulla ſcilicet alterius opitulante idea, menti præſens ſit, Spinoſæ juxtà ſententiam, ſubſtantia eſt corporea, unica, infinita, indiviſibilis, cogitandi potens, unde materia natura ſit naturans, ſive Deus ipſe. Verum & ſecundum hæc ipſa Univerſum

(*a*) pag. 31.

eſt natura naturata. Non quod materia, conflatuſque ex ea mundus, duæ naturæ, proindeque duæ ſint ſubſtantiæ, ſed una, eademque multimodis tantum adfecta, & modificata. Materia enim, ut juxtà naturæ ſuæ leges, ac profluentes indidem modificationes fundit perpetuo ſe ſe, ac pandit, diverſaſque in figuras ſe porrigit, natura naturans eſt, ſeu omnium cauſſa, quæ ſunt; ut verò has figuras ſuſcipit, & in eiſdem multiplex apparet, atque diviſa, eſt natura naturata. Hujus rei imaginem quandam (ſiquidem huic monſtro ſimile quidpiam aut eſſe, aut fingi poteſt) in lumine & coloribus fingere licet. Quemadmodum enim luminis radii diverſa reflexione, & refractione temperati, quum aut nullo colore imbuti ſint, aut primigeniis tantum inſtructi, omnigenos, in quæ impingunt, corporibus aſpergunt colores, ut in trigono vitreo obſervatu cuique perquam obvium eſt, tum in Pavonis cauda, cum luce eſt larga repleta, nec non in pluma Columbarum, quæ ſita cervices circum, collumque coronat, quum amplo perfunditur lumine:

Namque alias fit, uti rubro ſit clara Pyropo

Inter-

Digitized by Google

Interdum quodam ſenſu ſit uti videatur
Inter ceruleum virides miſcere ſmaragdos: (§)

hi porro, & in lumine ſunt, & ſine eo nec eſſe, nec mente percipi poſſunt, ipſumque lumen ſunt, quod multimodis reflexum, & refractum intermiſtumve umbris, veli inſtar corporibus obtenditur: ita Spinoſæ Deus materia eſt, quæ arcanis acta naturæ ſuæ legibus, in infinitas ſe ſe diffundit ſpecies, quæ in ipſa ſunt, & nec mente quidem ab ea divelli queunt, ipſaque omninò materia ſunt diverſimodè affecta & modificata. Itaque ad eumdem ferè modum de natura naturante, ſeu Spinoſæ Deo, nec non natura naturata, ſeu univerſo, ex illius mente loqui licet, quo de lumine, & coloribus multi haud infimi ſubſelii philoſophi ſtatuere ſolent; & quemadmodum flamma ab ignea vi luminoſi corporis vibrata lumen eſt, in corpora injecta, & inde in oculos converſa, quaſique retorta color, quo eadem velari putamus, ita materia, ut ſe emittit, fundit, explicatque in corpora, variaſque ſpecies ex ſe ſe promit, natura naturans eſt: ut in iis prominet, quaſique floret, ac pubeſcit natura

(§) *Lucr. Lib. II.*

eſt naturata. Eadem tamen & individua ſubſtantia eſt, quæ & materia, & Deus, & mundus, &

ſus horridus atraque Tigris,
Squamoſuſq; Draco, & fulva cervice Leæna. (a)

Verùm, qui fit, ſubdit idem diligentiſſimus Author (*), ut materia nullam in ſeipſa capiat diviſionem partium, nec diſtinctionem ullam, quum tamen in corporibus non diſtinctam modo, diſtributamque in partes, ſed diviſam diſcerptamque, & a ſeipſa divulſam eſſe, ſenſu vivido, conſtanti, & uniformi nemo non experiatur? Quantum, inquit, difficultatis in hoc eſſet Spinoſa ſenſit, ſed impotentem hominis audaciam, & ſtupiditatem ſimul eſſe ſpectandam. Nam quum in eo totus eſſet, ut abſurdiſſimæ adſertionis invidiam amoliretur; larvam errori detraxit, & quid in receſſu haberet patefecit. Igitur diſtinctionem ac diviſionem materiæ fœtum eſſe cenſet imaginationis; materiamque ſemper & ubique eamdem eſſe, nec diviſionem pati partium, nec ullam ſuſcipere diſtinctionem; ſed abſque ſuæ ſummæ

(a) *Ovid. Met. Lib. XIV.*
(*) *pag.* 35.

mæ unitatis diſpendio varias diverſaſque induere formas, in quibus apparet multiplex; in has autem incidentem imaginationem, quæ in rerum ſuperficie hæret, facere ut in materia diviſas, atque disjunctas opinemur partes, quæ reapſe in illa nullæ ſunt. Itaque diviſio partium figmentum imaginationis eſt, circa ea verſantis, in quibus ſe materia multiformem exhibet. At ubi intelligentia conſulitur, quæ rerum corticem prætergreſſa in materia rationem adtendit ſubſtantiæ, nullæ in eadem deprehenduntur partes, diviſio nulla, ac ne diſtinctio quidem, niſi modalis, ut ille loquitur, quam materia ſuſcipit, quatenus modis imaginationi obnoxiis adfecta eſt. Hic enim verò audaciſſimus incredibilium myſteriorum ſutor, ſolus ſapere ſibi videri voluit. Sed quæ hæc eſt fabula? Sint enim vera hæc: Igitur natura naturata, hoc ſcilicet univerſum, in vanas prorſus abit rerum imagines, & ludificamenta oculorum. Nulla quippe rerum ſeries eſt, generatio nulla, nulla corruptio. Idipſum enim de his tenere cogit ratio, quæ a ſubſtantia corporea omnem removet diviſionem partium, ac diſtinctionem. Quamquam quid opus pluribus, quum idipſum Spinoſa declarave-

rave-

raverit, aſſumto aquæ exemplo? Quum enim aquam, pro ut aqua eſt, & ſub imaginationem cadit, conflari ex partibus dixiſſet in quas poteſt dividi, atque ejus magnitudinem, certa mole, certoque ambitu definiri, hæc è veſtigio ſubdit: porro aqua quatenus aqua generatur & corrumpitur: at quatenus ſubſtantia nec corrumpitur, nec generatur: nova nimirum emergit modificatio, quum generari aquam cogitamus, dilabitur verò quum æſtimamus corrumpi; integra tamen immobiliſque perſtat aquæ ſubſtantia, quæ, & omnem generationem antevertit, & omni corruptioni ſuperſtes eſt, & individua prorſus, ac ſummè una, in infinitis rerum modis imaginationi illudit. Quum autem id quocumque de corpore ſtatuendum ſit, perſpicuum eſt, rerum nos abuti nomine, quum ea, quæ oculis obverſantur cenſemus. Nihil enim quicquam rerum eſt, præter unum indiviſibile æternum, undique uniforme, idemque interminatum, & infinitum, quod fluit in aquis, obdureſcit in lapidibus, germinat, adoleſcitque in plantis, ad propagationem, & paſtum projectum in brutis eſt, & in hominibus ratiocinatur, deſipit, furit, omnia eſt, omnia agit, patitur omnia. Quod

tamen

tamen omnia in materia ſint, veluti immanente cauſſa, ſine qua nec eſſe, nec mente comprehendi queunt, non iccircò pertinere ad ipſam cuncta putare debemus una ratione, eademque. Præcipuorum enim materiæ adtributorum ratio habenda eſt. Ac nos quidem rati nihil in materia divinum latere, extenſionem, diviſibilitatem, inertiam eidem tribuere ſolemus. Contra Spinoſa, quum ei perfectiſſimi entis dignitatem adſeruiſſet, imane paradoxum alio cumulavit. Ejus quippe adtributa primaria eſſe juſſit cogitationem & extenſionem, utramque infinitam, quæ & materiæ eſſentiam conſtituunt; & quarum vi materia ſe in corpora explicat, inque iis ſe ſe protendit, & cogitat. Nam corpora, in quibus cogitatio non vigeat aliqua non agnovit Spinoſa, nec verò agnoſcere potuit. Res igitur particulares ejus ſententia, ſunt Dei, hoc eſt materiæ adtributorum adfectiones, ſive modi; corpora verò modi ſunt divinæ naturæ, ut res extenſa eſſe conſideratur: mentes verò modi ſunt, qui naturam eamdem exprimunt, quatenus res cogitans eſſe intelligitur. Itaque materia, ut cogitatione prædita eſt, mens etiam eſt omnium, utque extenſa omnia capit

pit corpora ; ſed quoniam cogitatio & extenſio unam indiſtinctamque ſubſtantiam conſtituunt, hæc ſumma ſua unitate complectitur, & abſorbet omnia. Hiſce Author diligentiſſimus fucum deterſit illum, quem enormi errori impoſtor nequiſſimus ſedulo obducere curavit; illis enim præclaris nominibus, æternum, immenſum, perfectiſſimum, natura naturans, Deus, quæ identidem uſurpat, nihil præter materiam ſubjectum eſſe voluit, in quam decora omnia, per ſummum nefas congeſſit divinitatis; quæque conſentanea ad ea loquitur, gerræ ſunt, quibus nefandiſſimo dogmati pigmenta conatus eſt aſpergere. Materiam deinde quum ſemota quacumque ait diviſione, & diſtinctione, continere in ſe rerum omnium lineamenta, ac pro certo naturæ conatu quoſcumque rerum aſſumere vultus, inque his motus omnes ſubire, naturam naturatam, ſeu univerſum, explicationem, expanſionemque facit naturantis, materiæ ſcilicet, quæ ſola res, ſola ſubſtantia, ſola & omnia eſt, unde Deum eſſe mundum contractum, mundum verò Deum expanſum judicemus. Sed quonam pacto verſipellis hic Deus, quo non monſtroſiorem ullum cœca habuere tempora, cuncta ex ſe protulerit,

pro-

proferatque etiamnum, quod alterum continet Spinoſiani ſyſtematis caput, idem Luchius explicare pergit, quo impiiſſimi hominis & impudentiam oſtendat, ac ſtupiditatem (*a*). Primum autem monuiſſe ait Spinoſam, intelligentiam, ac deliberandi facultatem, ad naturam naturatam, minimè verò ad naturantem pertinere; nihil quippe aliud eſſe autumaſſe, quam cogitandi modos, qui proinde per aliquod Dei adtributum, quod æternam & infinitam cogitationis eſſentiam exprimit, per abſolutam ſcilicet cogitationem concipi debent; indeque ad illud immane, ingenſque individuum ſpectant, quod natura naturata eſt. Verum hoc indiviſibile extenſum cogitans, Spinoſæ nimirum Deus, etſi intellectu & voluntate caret, liberè tamen facit quicquid facit, propterea quod a nullo coactum, ſed ex ſolis naturæ ſuæ legibus facit, fitque omnia. Atque id eſt, quod Spinoſiani ſyſtematis caput audit alterum; Deum ſcilicet ex ſolis ſuæ naturæ legibus, & a nemine coactum agere. Ac tametſi hoc ab altero propagatur, haud immeritò tamen tamquam caput adſumitur alterum, quippe quod divinæ efficientiæ energiam, & œcono-

K miam

(*a*) *pag.* 41.

miam præfert, e qua eorum, quæ modi inſtar divinæ naturæ indivulsè adhærent, vis & ratio æſtimanda eſt; & quoniam fiat ut omnia in Deo ſint, unumque itidem ſint cum ipſo, omniaque ipſe operetur in omnibus, quin ejuſdem aut minuatur neceſſitas, aut tollatur ſimplicitas, aut ſanctitas lædatur, quantum in turbulentiſſimo ſyſtemate licet, oſtendit; & præterea omnem finalis cauſſæ vim, notionemque, indeque diſtinctionem mediorum ab agente, ac diverſitatem penitus tollit: in quo ſumma ope Spinoſa eniti debuit, ut quod ſibi ſtatuendum propoſuerat, nullam nimirum præter Deum, aut dari, aut cogitari ſubſtantiam poſſe, exequeretur. Quænam porro hæ divinæ naturæ leges ſint, nuſquam Spinoſa explicuit, ſed quum ex neceſſitate divinæ naturæ infinita ſequi infinitis modis ſtatuat, adſeratque eadem ex neceſſitate res eſſe omnes ad certo modo exiſtendum, operandumque determinatas, unde res inferat nullo alio modo, aliove ordine a Deo produci potuiſſe ab eo quo productæ ſunt, Oedipo opus hercle non eſt, ut intelligatur, divinæ naturæ leges ſumma ejuſdem naturæ neceſſitate contineri; nec verò clarius quidpiam explicatiuſque tradere

Spi-

Spinoſa potuit, quo illarum ratio legum & harmonia declararetur. Heinc ejus juxtà ſententiam Dei libertas, quam pluribus aliquando commendat, neceſſitas eſt agendi, patiendique, quæ tanta eſt, quanta divinæ naturæ perfectio, ſumma nimirum, infinita, quæ nec moras patitur, nec ullum habet modum; Tantum enim urget, quantum infinita naturæ impellit perfectio, in qua tota Spinoſiani fati vis poſita eſt. Hoc verò fati genus, tametſi idem cum Stoico eſſe fato dubitari vix poſſit, hoc tamen illi præſtat, quod ita ſummis connectit infima, ut inter ea diſcernendi ſpem adimat omnem, nomenque ipſum jugulat libertatis. Verum quæ alia tribuenda erat libertas Deo, qui totus cogitatio, totus extenſio, totus materia, & unus eſt omnia, cæcum, tetrum, perturbatiſſimum chaos? Hercle nulla alia ineſſe poterat, præter eam, quæ eſſet, ſine deliberandi, eligendique facultate libertas. Ita ſacrilegus inauditarum fabularum Author in ſumma idearum rerumque repugnantia, nefario ſyſtemati fundamenta locavit, cujus inter abſurdiſſima conſectaria, præcipuum, uti Luchius ait (*a*), illud profectò eſt, quo nul-

(*a*) *pag.* 46.

lus in rerum ſerie relictus eſt ſubſtantiis immaterialibus locus: quod adeò aſſumptis ab eo principiis conſentaneum eſt, ut mirari ſubeat Egelium (*), fidenter pronunciaſſe Spinoſæ ſyſtema ſibi haudquaquam conſtare, niſi ſpiritus, ſeu Dœmones admittat. Quinimò, inquit Luchius, ut ſibi Spinoſa conſtaret, nullas ſubſtantias ſpirituales debuit admittere. Nam iſtis poſitis, quum planè diverſi generis a materia ſint; fundamentale totius ſyſtematis principium ſubvertiſſet, nimirum, unicam tantum ſubſtantiam, materiam ſcilicet dari. Sed oculatiſſimum cenſorem audire eſt operæpretium. Quum res omnes, inquit Bælius, modificationes ſint divinæ naturæ, quæ non conſilio & providentia, ſed perfectionis ſuæ neceſſitate fit omnia, congruum omninò eſt, ut ejuſdem cogitationem, non in homine tantum, ſed in multis quoque rebus aliis, iiſque ſenſui ignotis eſſe modificatam putemus. Infinitum propterea animantium eſſe numerum, quæ quum incredibili ſubtilitate prædita ſunt, tum, ut cognoſcendi vi, ita vafritie, atque nequitia hominem longè exſuperant, eaque excitare in hominum valent ſenſibus, atque animo

(*) *Lex. Art. Spin.*

animo, quæ ſpirituum adparitionibus excitari traduntur. Equidem, reponit Luchius, ſi ſpiritus nomine Spectra accipienda tantummodo ſunt, & hominum terriculamenta, quæ Lemures appellantur, haud repugno Spinoſæ in ſyſtemate eſſe admittenda. Ecquid enim huic fingi conſentaneum magis poteſt, quam rerum naturam plura complecti hominum ſenſibus, mentique ignota, pluraque eſſe viventia corporea, alia aliis ſubtiliora, atque adeò hujus ut ſubtilitatis modum definire non liceat? Nonne tam latè ſe ſe divina profert potentia, quantum naturæ impellit neceſſitas, & hæc tantum urget, quantum vis poſtulat infinitæ perfectionis? Ita prorſus. Quid igitur impedit, quominus Deus natus capere omnes ſpecies, & formas, in Spectrorum ac Lemurum habitu ſibimet ludos faciat, ac terrificationes concitet? Prius hercle certis cancellis infinitæ naturæ neceſſitas, indeque manans diffuſio coërcendæ ſunt, atque a materia omnis cogitatio ableganda eſt, quam id negetur. Etenim ad id opus non eſſe ſubſtantia, quæ ab omni materiæ concretione ſegregata ſit prorſus, notius eſt, quam ſuaderi debeat. Atſi ſpiritus nomine ſubſtantiam iri ſignificatam velimus

limus

limus a materia diverſam planè, planeque ſecretam, omne ſpirituum genus Spinoſa negare debuit, ne præſtituta ſemel ſyſtematis fundamenta ab imo ſuffoderet. Nequicquam verò Bælius ad infinitæ cogitationis provocat modificationes; meminiſſe nempe debuit, cogitationem, extenſionemque adtributa eſſe materiæ, quibus, juxtà Spinoſianam adtributi definitionem, materiæ eſſentiam conſtitui intelligimus; ac proinde longè adeò abeſt, ut modificatio materiæ, quatenus hæc ſubſtantia cogitans eſt, vere ſpiritus indolem poſſidere queat, quam longè abeſt, ut materia, quatenus ſubſtantia cogitans eſt, a ſeipſa ſit aut diſtincta, aut diverſa. In id reſpexiſſe verò videtur Spinoſa, ubi monuit; quicquid ab infinito intellectu percipi poteſt, tamquam ſubſtantiæ eſſentiam conſtituens, id omne ad unicam tantum pertinere ſubſtantiam; ſubſtantiam conſequenter cum cogitantem, tum etiam extenſam, unam eamdemque eſſe, quæ jam ſub hoc, jam ſub illo comprehenditur adtributo. Atſi ſubſtantia cogitans, una eademque eſt cum extenſa, hujus haud dubiè modificatio nulla a materia ſoluta eſt. Atque hoc maximè convenit cum principio, quod totius ſyſtematis baſis,

baſis, ac ſolum eſt. Spirituales præterea ſi ſubſtantias Spinoſæ ſyſtema capiat, procul dubio non ratione alia ab ea, qua capit humanas mentes, ut cogitandi nimirum modos, & partes divini intellectus. Atqui humanæ mentes ita cogitandi modi ſunt, & divini partes intellectus, ut una eademque res cum corporibus ſint, in quibus cogitant: ineptit itaque Bælius, cum magno molimine ſpirituales ſubſtantias in Spinoſæ ſyſtemate quærit; nomini ſcilicet ſpiritus aliam planè notionem ſubjecit ab ea, ad quam exigenda erat diſputatio; & viventia eo appellari voluit intelligentia prædita, quæ tametſi ex ſubſtantia corporea concreta ſunt, ob eximiam ſubtilitatem tamen, & craſſiora pervadere valent corpora, & receſſus ultimos vitalium ſpirituum penetrare, nervorumque propagines, & omnia pro libito commovere. Hoc etiam factum eſt, ut Lemures, ſpectra, ſpiritus uno ſit complexus nomine, & peræque de omnibus pronunciaverit, quum tamen ad accuratius examen mota quæſtio vocaret, & res ipſa difficultate multa obrepta & involuta. Hucuſque Luchius. Verum nec obviis vulgaribuſque argumentis par eſſe poteſt malè concepta illa Spinoſiſtarum hypo-

hypotheſis; mundum quippe, quem unicam ac divinam unitamque & variis modificationibus actam dixere ſubſtantiam, ens adhuc vocant abſolutè infinitum, naturamque infinitis conſtantem adtributis, quorum unumquodque æternam exprimit, ac infinitam eſſentiam. Enim verò mundanæ hujus emolitionis extenſio omnem ei adimit infinitatem; eſto enim ſpatium aliqui immenſitatem dixerint Dei, rem alii mediam ſpiritum inter & corpus, ſubſunt tamen iſta non enodabilibus objectis, realiſque extenſio in Deo monſtrum immane ingens adeò Malebranchio viſa eſt, ut Arnaldum, ab quo hac de doctrina fuerat inſimulatus, calumniæ reum poſtulaverit non ferendæ; certum enim concipi humano ab intellectu extenſionem haud poſſe, quæ diverſæ rationis ſit ab extenſione materiæ, non figuratam ſcilicet, iccircò non terminatam, quæ cum infinitate pugnat omninò. Et naturalitate quidem infinita Dei adtributa per progreſſum interpretantur infinitum, ſeu divinam, immenſam, incircumſcriptamque ſubſtantiam actuari modis poſſe numero quidem, non realitate ac perfectione infinitis, quatenus infinita numero, per emanationem veluti quandam producere en-

tia

tia poſſit ac individua. Verum quum adtributa illa ſeu individua, modique infiniti haud ſimul exiſtant, tantum verò ſucceſſivè, non arguunt profectò, niſi poſſibilem infinitatem, quo pacto in continuo res eſt. Tollitur itaque ab univerſali illa ſubſtantia omnis prorſus infinitas, quod vel naturaliſtarum repugnat finitioni. Enim verò etſi incompoſitam inter immenſamque æternæ mentis naturam, ac mundanam ejuſmodi emolitionem latum apertumque diſcrimen everti poſſe contendunt, quum Deum neque rem eſſe cogitantem adſerunt, neque materialem omninò, ſed univerſale indefinitumque ens cogitatione atque extenſione, duobus veluti adtributis ornatum ac præditum; quum tamen extenſionis illa & cogitationis adtributa ſint inter ſe natura ſua diverſa, evidens omninò eſt ſeparatam iri materiam ab eſſentia cogitante, unius itaque exiſtentiam ab exiſtentia alterius; quarè exiſtere poſſe ens cogitans nulla exiſtente materia. Quid quod hypotheſim ejuſmodi naturaliſtarum etiam principiis oſtendimus adverſari? Deum enim Mundum eſſe voluerunt, quod unica modo exiſtere poſſit univerſalis ac infinita ſubſtantia, è qua ea prorſus omnia, quæ in univerſo

eſſe conſpiciuntur, per immanentem actionem, & emanationem veluti quandam producta ſint atque conflata. Verum quum univerſum adſpectabile hoc ſubſtantiæ genus, aut in extenſione reapſe conſiſtat, aut eadem intimo veluti adtributo præditum ſit ac ornatum, plurimas eſſe quoque in eo abſque fine diviſibiles partes evidens eſt, unam iccircò eſſe haud poſſe univerſalem illam mundanæ fabrichæ entitatem atque ſubſtantiam; quum enim corporeæ res quæcumque numquam abſolutam quidem, ſolum verò relativam habere in ſe unitatem poſſint, veraque unitas in re modo ſimplici ſit ac immateriali; cujus quidem idea, tametſi haud poſſibilis ſit efformatu, neque clariorem eam habeamus, quam per actum intellectus elicimus, dum eſſentiam ſupra noſtram reflectimus, quam indiviſam in ſe, diviſamque ab quocumque alio eſſe conſcii ſumus, eam iccircò extenſæ huic entiati numquam convenire poſſe dignoſcimus. Quid enim aliud materiæ unitas, quam ea prorſus quæ Laconum Reipublicæ, Romanoque convenit populo, aut Cæſaris exercitui, per conlectionem ſcilicet humano factam ab intellectu, ſecus natura ſua? Optimè magnus Scaliger,

mun-

mundus, ait, non eſt unus unione formæ informantis, ſicuti neque unione materiæ, ſed unione primi principii efficientis & finis, propterea quod ab uno, & ad unum omnia, neque alia unitas univerſi, niſi propter ordinem partium inter ſe. Si enim una forma mundus informaretur, aut reliquæ formæ omnes illius formæ partes eſſent, aut ab illa eſſent informatæ: quorum utrumque perabſurdum eſt; non enim formæ inter ſe univocæ ſunt. Quædam ſunt materiales, atque ſecundum materiam diviſibiles: ut elementorum formæ: aliæ non diviſibiles, ſed communicabiles, ut ſpecies; non enim equus in plures equos ſecari poteſt: Nonnullæ ſunt ſubſtantia quidem immateriales, conjunctione verò materiales, ut intellectus humanus: Aliæ ſunt penitus expertes materiæ, cujuſmodi mentes orbium motrices; quapropter pluſquam genere differunt: atque iccircò nequeunt totius cujuſpiam unius eſſe partes. Multò verò minus audiendus erit is, qui dicat formas informari. Quod ſi quis quærat ad quam unitatis rationem referatur univerſum? Ad unitatem, reſpondetur, ordinis eorum, quæ ab uno ducta principio, in eundem unum, tamquam in finem proprium

deducta, conveniunt, & inter ſe & in illo. Hæc Scaliger (*), cujus quidem doctrina etſi tenebricoſis peripateticorum verborum ſub involucris exhibeatur (Averrois enim diſpoſitiones ſequutus eſt, propereaquod primis Lycei ſacris initiatus, in illius Viri verba jurare coactus eſt ab Præceptoribus Buccaferrea, Pomponatio, Zimara, Nipho: quos & ingenuè fatetur, Ariſtotelem ſæpius ad Averroem, quam hunc ad illum retuliſſe) inficiari tamen haud poſſumus immanem illum adverſus mundanam hancce emolitionem divina cum æternaque natura, confundentium errorem alicujus roboris eſſe ac utilitatis. Una itaque foret univerſalis illa indefinita ſubſtantia, unam ſi modò ſubſtantiam exiſtere dicunt poſſe; non una verò, quod varia per individua eſſet diſcerpta: immò non una, quod partibus conſtaret innumerabilibus, quarum una eſſet ab alia, natura ſua omnimodeque diverſa. Quid enim ad diſtinctionem duorum inter ſe diverſitatemque magis requiritur dignoſcendam, quam eorum ſeparatio? Una verò quum pars univerſalis illius idealis ſubſtantiæ ſegregata ſit ab alia, arbor ſcilicet ab homine, homo unus ab

(*) *Lib. de Subt. adv. Card.*

ab alio, (quæ quidem etſi modificationes appellitare ſoliti ſint naturaliſtæ, partes tamen veras ac reales eſſe fateantur omninò neceſſe eſt) una iccircò ab alia diverſa erit atque diſtincta, ex quo neque unam reapſe, aut ſimplicem conſtituere poterunt univerſalemque ſubſtantiam. Immò non una ſolum è modificationibus dum ſeparata conſideratur ab alia, verum & ante ſeparationem illam una profectò alia non eſt. In ſtatua enim lignea ſi quantitas pedis ſegregata a quantitate capitis, diverſa ab illa eſt atque diſtincta, hocce idem erit vel ante ſeparationem. Per continuæ namque diviſionem quantitatis nova haud producitur entitas ſubſtantiæ. Si verò poſt ſeparationem eſſet actu diſtincta, ſecus ante ſeparationem, eadem reipſa non eſſet. Quantitas quippe, quæ quantitas reverà eſt capitis, eadem reapſe haud eſt cum quantitate, quæ quantitas non eſt capitis. Verum ſi pedis quantitas ante ſeparationem ab illa capitis diverſa non eſſet atque diſtincta, quantitas eſſet capitis, ſecus, ſi poſt ſeparationem eſſet actu diſtincta; eadem itaque perpetuò ſi eſt, pars una, vel ante ſeparationem, ab alia diverſa atque diſtincta eſt. Et ajunt quidem illi, nullam inveniri quan-

quantitatem poſſe univerſali non unitam ſubſtantiæ, corrumpi ſcilicet quidem lignum, ejus tamen quantitatem ab ſubſtantia mundi haud ſeparari & dividi, remanere verò in quantitate geniti ignis: mori etiam hominem, ejus tamen quantitatem in cinere haberi; omnia iccircò unita perpetuo eſſe ac immanenter circumfuſa continuataque toto, ab quo, & in quo ſingula inceſſanter eſſe ajunt, ac perſeverare. Verum quum tot adeò diverſæ inter ſe, adverſæque, oppoſitæ, & contrariæ modificationes nullatenus eodem tempore eidem ac ſimplici valeant convenire ſubjecto, atque ab eadem eſſe virtute materiæ, aut fateantur oportet extenſionem carere partibus, diviſibilem haud eſſe, centumque materiæ partes mathematico ab puncto nullatenus eſſe diverſas; aut demum fieri poſſe credant, tot adeò ſenſus expertes ſubſtantias, quot ſunt ſubjecti compoſiti partes, nullo dirigente principio mundanum hunc in ordinem cæco caſu eſſe redactas, aut virtutem illam, animamque materiæ nulla ſecum ratione conſtare, fontemque eodem inſtanti operationum adeò inter ſe obſtantium eſſe, & ſimul diverſis in hominibus oppoſita cogitare, & ſecum veluti diverſas

per

per leges perpetua conflictatione contendere. Heraclitus autem nullus, non jam Ponticus, ſed Cimmerius hujuſmodi cum tenebricoſiſſimis perplexitatibus eſt comparandus. Principium illud verò ſua pro libertate ordinatè movens ac dirigens, omniaque ſuo firmans in loco, intimum univerſalis ſubſtantiæ partibus eſſe non poſſe ex abſurdis optimè oſtendit præclarus ille Tullianæ fons eloquentiæ. (*) Quomodo, ait, idem eſſe poteſt, quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat, idem eſſe figulum, quod lutum; aut lutum idem eſſe quod figulum; nonne apertè inſanire videatur? At iſti uno naturæ nomine duas res diverſiſſimas comprehenderunt, Deum & mundum; artificem & opus; dicuntque alterum ſine altero nihil poſſe; tamquam natura ſit Deus mundo permixtus, ut ſit Deus ipſe mens mundi, & mundus ſit corpus Dei. Quaſi verò ſimul eſſe cœperint mundus ac Deus, ac non ipſe mundum fecerit. Siquidem Deus eſt divina & æterna mens, corpore ſoluta ac libera, cujus vim majeſtatemque quoniam intelligere Stoici non potuerunt, miſcuerunt cum mundo, ideſt operi ſuo, unde eſt illud Virgilianum:

totam-

(*) *Lib. VII.*

totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Ubi eſt ergo illud quod idem ipſi ajunt, & factum eſſe divina providentia, & regi? Si enim fecit mundum, fuit ergo ſine mundo. Si regit; non utique ſicut mens corpus regit; ſed tamquam dominus domum, navimque gubernator, auriga currum: nec tamen mixti ſunt iis rebus, quas regunt. Nam ſi hæc omnia quæ videmus, Dei membra ſunt, jam inſenſibilis ab his conſtituitur Deus; quoniam membra ſenſu carent, & mortalis eſt, quoniam videmus membra eſſe mortalia. Poſſum ennumerare quoties repentinis quaſſatæ motibus vel hiaverint terræ, vel deſcenderint in abruptum; quoties demerſæ fluctibus & urbes & inſulæ abierint in profundum; frugiferos campos paludes inundaverint; flumina & ſtagna ſiccaverint; montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adequati; plurimas regiones & multorum fundamenta montium latens, & internus ignis abſumit. Et hoc parum eſt, ſi membris ſuis non parcit Deus, niſi etiam homini liceat aliquid in Dei corpus. Maria extruuntur; montes exciduntur, & ad eruendas

das opes interiora terræ viſcera effodiuntur. Quid quod ne arari quidem ſine laceratione divini corporis poteſt? ut jam ſcelerati & impii ſimus, qui Dei membra violemus. Patitur ne ergo vexari corpus ſuum Deus, & debilem ſe vel ipſe facere, vel ab homine fieri ſinit? niſi fortè divinus ille ſenſus, qui mundo & omnibus mundi partibus permixtus eſt, primam terræ faciem reliquit, ac ſe in ima demerſit; ne quid de aſſidua laceratione ſentiret. Quod ſi hoc vanum & abſurdum eſt; tam igitur ipſi eguerunt, quam hæc indigent ſenſu; qui non perſpexerunt divinum quidem ſpiritum ubique diffuſum; eoque omnia contineri; non tamen ita, ut Deus ipſe, qui eſt incorruptus, gravibus, & corruptibilibus elementis miſceatur. Magnum hoc ſcilicet ſacramentum è ſanctiſſima hauſerat traditione Lactantius, cujus modo luce poſitivum quid divina de natura ſtatuere poſſumus atque concipere, ſcireque quid ſit magnum hoc majuſque, cui perpetuo paremus, vivendoque operam damus. Ei nempe reſervatum omninò erat, ut notiones, de arcana adeo infinitaque eſſentia non falſas, humanis ingeneraret mentibus, ideaſque Philoſophis traderet Deo non

indignas, quas inde naturali lumine poſſent veluti contemplari. Enim verò qui & in inveniendis veritatibus, & in jam inventis demonſtrandis verſati adprimè dicuntur, primorum doctrinam patrum ultrò ſuppeditaſſe ajunt hominum intellectui objecta ideaſque, ſive propoſitiones de natura divina demonſtrandas, neque aut debuiſſe, aut eas invenire potuiſſe Philoſophos; facilius demum jam inventas veritates demonſtrare, quam nondum inventas reperire, immò demonſtrari poſſe inventas, quas reperire haud umquam potuiſſent ii, qui arte pollent inveniendi, quod de iis utique cogitandi anſa non ſuppeditaretur. Et aliqui quidem oſtendere perrexerunt cum Deum infinitum eſſe, tum etiam eſſe ab extenſione diſcretum, quod indita fuerit humanæ menti idea perfectiſſimi entis ab cujuſcumque creatæ rei, ſive extenſionis idea omninò diverſa: quam quidem ajunt, ad cognitionem perveſtigandam æterni numinis ac infinitæ mentis Metaphyſicorum ſemitam, quorum eſt, quicquid probatum tradunt, ſua ex mente atque idea, ſuo eruere ex animo, non è rebus extrà ſe poſitis: ideam verò illam, utpotè hominum menti connatam, humanum pro-

fectò

fectò genus in cognitionem æterni numinis, certitudinemque primi entis atque rerum omnium principii, natura duce veluti ac comite, trahere, cujus etiam naturæ ope, per ceteras inditas juſtitiæ & æquitatis ideas, poſita ſatis eſſe naturalis juris ac humanæ videantur fundamenta ſocietatis. Uſi ſunt ea perſuaſione Carteſiani omnes, qui divinæ opinionem naturæ latè ajunt manaſſe, ac diuturnitate coaluiſſe, quod perfectiſſimi idea entis ſuapte natura mentibus hominum inhæſerit, & ita quidem conſignata ei fuerit, ut qui eam humano ab intellectu convellere tentet, is conetur vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam extorquere. Unde Sectanus:

Vicit io Deus, & quamquam ſis perditus, amens,
Non tamen ex animo poteris divellere Numen
Cognatum. (*)

Hos autem falli, nuperos poſt Peripateticos, ſectatores Lockii contenderunt, connataſque hominum menti haud eſſe rerum ideas, quod haſce reipſa, quas poſſidemus, progreſſu temporis ac meditatione videamus eſſe conflatas, expertemque multarum notionum

(*) *Sat. I.*

humanam mentem, dum experitur & tentat, dum reformat & immutat, parvas haſce concinnaſſe ſcientiolas artium, nondum ad exitum maturitatemque perductas: obſcuris immò nimium tenebris involutam dixere idearum naturam, quæ poſt præclara etiam Arnaldi & Malebranchii certamina adhuc inexplicata ſit: ſex adſignatas innatæ eſſentiæ proprietates & characteres, prioritatem ſcilicet, independentiam, univerſalitatem, certitudinem, neceſſitatem, adſenſum mora nulla interpoſita æternæ mentis & perfectiſſimi entis ideæ nullatenus convenire; diverſam nempe fuiſſe diverſis hominum in mentibus; quorum apud aliquos, poſtquam primæva illa nativo e candore deficere cepit traditio, neque idem ſubjectum cultum, neque eadem ex lege, nec eodem communi magiſtro: idololatriamque unum quidem nomen, non unam fuiſſe religionem; ex quo inde humana ſit in mente rei alicujus, tametſi perfectioris, idea, rem ejuſmodi exiſtere, & eſſe cauſſam ideæ, dici recta ratione non poſſe; habereque nos rerum non exiſtentium ideam, ideoque ex quo illa æternæ ac infinitæ mentis, rei utpotè intelligentis atque incircumſcriptæ, ſit ab hominis intellectu, abque con-

conceptu corporeæ rei ac materiæ partium omninò diverſa, haud conſequi tamen corpoream rem numquam eſſe poſſe cogitantem: facileque concipere nos fœcundam cogitandi vim poſſe ſibi virtute propria independenterque ab ullo alio, ideam aliquam repræſentare, ab qua removendo quicquid imperfectionis finitatiſque cognoſcit, ſenſationes nempe alias, quas in ſe anima aliquando experitur, morbos videlicet ac perturbationes animi, dubitationem, ortaſque ex impotentia mentis anguſtias, habere inde non obſcuram poſſe rei ſemetipſa perfectioris ideam. Hanc verò litem nos haud ducimus dirimendam; quum enim eſſentiam animæ per propriam, ut ajunt, ſpeciem cognoſcere haud valeamus, ut adſtrui connatæ ideæ evidentibus argumentis haud poſſunt, ita nec earum exiſtentia evidenti ratione negari. Et aliquod quidem ſignatum eſſe ſuper nos cæleſtis æternique vultus atque principii lumen, inditumque hominum menti magnum aliquod majuſque, quo agi ſe quodammodo ſentiant (etſi poſt adamiticum facinus valdè obtenebratum) haud obſcurè demonſtrare videntur cum præſtantiſſima hominis ſententia ad imaginem Conditoris & ſimilitudinem facta,

tum

tum etiam phyſicum adverſus animam inter & materiæ partes influxum, harmoniamque præſtabilitam inexuperabilia objecta, quorum ratione connatas aliqui quidem invexere ideas, quin illis tamen ſtatutis habitiſque, ad æternæ mentis eſſentiam probè ſancteque cognoſcendam, prioris illius veræque traditionis lucem ducerent ſupervacaneam. Ut enim ad excitandas inditas menti rerum ceterarum ideas extrinſecos quoſdam motus, eorum ſententia, aptè natura ordinateque diſpoſuit, quorum præſentia, occaſione, & veluti impulſu virtutes inde commoverentur, & erumpere foras inciperent, ita perfectiſſimi æternique entis idea, abſque ſanctiſſima traditione cieri nulla umquam ratione potuiſſet, ſed in confuſo idearum theſauro occluſa prorſus atque ſopita animam ſuper æternæ mentis primique exiſtentia intelligentis principii reliquiſſet incertam.

XVII. Hæ verò ſive excitatæ, ſive per traditionem hauſtæ de natura divina clariſſimæ ideæ, efficiunt profectò, ut vulgata illa ad exiſtentiam Dei naturaliter oſtendendam circumlata argumenta, ex primo nempe motore, primaque ex cauſſa, ex perfectiſſimo ente & neceſſario, ex ordine in rebus de-

mon-

monſtrativa demum ſint, nec ab humano intellectu ad univerſalem ſubſtantiam, virtutemque materiæ (Atheorum more) perperam torqueantur, uti ex humani imbecillitate intellectus poſſent reipſa torqueri. Et virtutem quidem cognoſcendi æternæ mentis exiſtentiam humano pæne omnes tribuunt intellectui, conſtareque inter omnes docent, ut ex iis rebus, quæ hac ſede mundi continentur, nihil eſt homine præſtantius, ita nihil eodem eſſe ad naturalis legis & divinæ naturæ cognitionem capeſſendam accommodatius; Quum enim eum, inquiunt, optimus rerum omnium Procreator ita effinxerit, ut divinam gereret ſimilitudinem, ceteriſque rebus omnibus in hoc terrarum orbe dominaretur, tantum abeſt aliis ut cedat, aut quicquam aliud comparari cum eo queat, ut ipſe conſilio rationeque cuncta gubernans ac ſuperans, in terris quaſi Deus habeatur. Quod cum facilè perſpicere omnes poſſunt, tum verò multo melius cognoſcunt ii, qui ſtudium omne in doctrina & ſapientia collocarunt; intelligunt enim quot, quantaque inſtrumenta habeat ad veram ſapientiam adipiſcendam, quum animos cæleſtes atque æternos ei datos ad Dei exiſten-

tiam

tiam, ejuſque naturam perluſtrandam & contemplandam animadvertant: quod ubi homines ſunt conſequuti, tum denique beati, & ex omni parte felices exiſtimari verè poſſunt: ac mirabile eſt, ſubdunt, in tanta rerum varietate atque copia, quæ ſunt a præſtantiſſimo illo mundi Opifice procreatæ, hoc præclarum animal hominem ita excellere, ut uſu rationis omnes alias animantes ad ſuam utilitatem commoditatemque traduxerit: ac non modo ea ſibi adſciverit, quæ natura ſponte ſua fert, ſed alia inſuper admirabilia perſpicaci ingenio, mentiſque acie ad vitam benè beateque ducendam excogitarit; nam ſi quis cuncta intueatur, quæ ad humanum uſum exſtiterunt, is maxima cum admiratione perſpiciet, alias res ſtatis anni temporibus perpetuo tenore exoriri, alias in nihilum abire, alias ad ornatum & oblectationem, ad neceſſitatem alias datas eſſe nobis atque attributas. Sed quid, inquiunt, de globis corporibuſque cæleſtibus dicere eſt? quid de illa perenni continuataque reali motione? quantam ſummi Dei majeſtatem, quantam potentiam, quantam æterni Patris erga nos charitatem oſtendunt? Ut autem, ſubdunt, propiùs accedamus, quam mirifi-

ficos

ficos ornatus, quam artificioſas ſtructuras habet in ſe hominum ipſorum fabricatio? Verum hoc minus mirabile videtur, quod nobis ante oculos perpetuò verſatur. Si quis tamen cuncta ſecum animo volvat, ſingularem Dei benignitatem cognoſcet, incredibilemque in humanis corporibus fabricandis ſapientiam ſummis ornabit laudibus, & numquam deſinet admirari. Nam præterquamquod erecti homines ſunt creati, ut quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque cæleſtium res divinas contemplarentur, Deumque ipſum, parentem omnium adgnoſcerent: etiam hoc ſunt conſequuti, ut quibus rebus vita hominum tenetur, earum rerum inſtrumenta aptiſſima obtinuerint; quum enim nemo in humanis ſit, qui niſi cibo potioneque veſcatur, ac niſi ſpiritum viciſſim ducat, ac reddat, hac lucis uſura frui queat, ita nobis proviſum eſt, ut vel una corporis noſtri parte hæc omnia obeamus: ſiquidem os ad hæc peragenda accommodatiſſimum eſt: in quo & dentes ad molliendum cibum, & lingua ad ipſum depellendum inſunt: itemque aſpera arteria, quæ ad pulmonem uſque pertinens excipit eam animam, quæ ducta ſit ſpiritu, candemque a pulmone reſpirat:

N ac

ac ne quod illapſum eſſet, ſubitò efflueret, natura alvum adjunxit, multiplicem & tortuoſam, ut quod recepit, continendo mutetur, & concoquatur. Venarum verò & arteriarum in omnes partes corporis pertinentium ortus, progreſſioneſque, nemo ſine prolixa oratione explicarit; quum enim ſanguis per venas in totum corpus diffundatur, & ſpiritus per arterias, utræque tam crebræ multæque in toto corpore intextæ ſunt, ut paucis narrari verbis non poſſe videantur. Quid dicere eſt de oſſibus? ſine quibus nec ſtabiliri corpus, nec aptè artus finiri, nec ad motum actionemque accommodari unquam poſſent: quæ omnia mirabilibus quibuſdam commiſſuris illa præclarè efficiunt, cumulatèque præſtant? Jam verò ſenſus in quibus vita poſita eſt, quis cogitatione, nedum oratione perſequatur? Mirabile eſt quanta præſtantia eorum ſit, quamque aptus ſingulis ſit tributus locus, in quo ritè & ad hominum vitam accommodatè ſuo munere fungerentur. Ac, omnium quidem ſententia, nemo tam diſertus fuerit, qui hanc Opificis in ſenſibus ſolertiam, verbis poſſit exprimere: quod quum ita ſit, quomodo hominis animam, mentem, rationem, conſilium, pru-

dentiam exponet, aut vim illam eloquendi pæne divinam, cujus ope illud primum conſequimur, ut ea, quæ ignoramus, diſcere, & ea, quæ ſcimus, alios docere valeamus; ejus dein uſu cohortemur, perſuadeamus, conſolemur afflictos, perterritos a timore deducamus, cupiditates, iracundiaſque reſtinguamus? Cumque mortalis homo ſine externis adjumentis traducere vitam non poſſet, ſed oporteret agros colere, tecta exſtruere, tegumenta corporum vel texta, vel ſuta comparare, tum verò omnem fabricam æris, & ferri exercere, optimus ille noſter Procreator manus ad ea omnia aptas, & multarum artium adminiſtras dedit: atque illud inſuper adjunxit, ut terrenarum rerum omnium eſſet in homine dominatus, utque hominum ratio in cælum uſque penetraret, aſtrorumque ortus, obitus, curſuſque cognoſceret: ut defectiones Lunæ Soliſque provideret, & in omne poſterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint, prædiceret, ac divinaret: quæ intuens animus accipit ab eis cognitionem Dei, ex qua oritur pietas, cui conjuncta juſtitia eſt, reliquæque virtutes: ex quibus vitam beatam exiſtere, nemo eſt, niſi quis planè ſtupidus barduſque ſit, quem

N 2 igno-

ignorare putent poſſe. Si itaque humana in emolitione tantus ac talis ordo eſt, iſque ſupremi exiſtentiam artificis mirè adeò oſtendit; ab quo, inferunt, niſi ab intelligentiſſimo & omnium perfectiſſimo ente atque principio mundana hæc emolitio oriri potuit atque efformari, tantumque ordinis unitatiſque in varietate habere conſtantiæ, tantum fœcunditatis utilitatiſque, jucunditatis etiam & gratiæ? Ex ordine itaque in rebus, naturæ vi Procreatorem Deum exiſtere, Philoſophorum plerique demonſtrari arbitrantur poſſe; momentumque illud lucem ceteris adferre; etſi enim cauſſa, ut cauſſa eſt, (loqui enim barbarè & ab Oxonio neceſſe aliquando eſt, non è Roſtris aut Comitiis) mentem haud involvat, ſecus tamen ſi directiva ſit ceterarum in finem. In univerſi namque partium diſpoſitione, perpetuaque motus viciſſitudine, quum omnia ſint ordinata, in finem, neque poſſint ſe ad illum dirigere, quum haud cognoſcant finem, mediaque ad illum apta ac proportionata, neceſſe demum eſt ab alio in finem directa ſint, ab eo ſcilicet, qui omnia perfectiſſimè cognoſcendo, ea novit probè dirigere in finem.

XVIII.

XVIII. Verum hæc argumentandi, optima quidem aç demonſtrativa eſt, ubi veræ lux effulgeat Traditionis, ſecus autem ubi illa non adſit: nam & Veteres ea qui caruere, & Spinoſiani, ejus oblatam facem qui nequiſſimè reſpuunt, principia quidem illa totis ulnis amplectuntur, conſequutionem demum inficiati; interpretantur ſcilicet omnia de immanente cauſſa & intrinſeca mundo, non de extrinſeca atque ordinante ab circumſcriptis rebus omnibus, materialibuſque diverſa. Et certum profectò apud omnes omninò eſt, requiri principium ordinis, ubi reperitur ordo; aſt ut ordo & de neceſſario interpretari poteſt atque immanente, & de contingente, ſuaque in fonte extrinſeco rebus, fax aliqua demum, præter rationem, neceſſaria eſt, quæ ut contingentem illum, liberumque, ac naturæ extimum demonſtremus efficiat; omnia quippe, quæ circumferri ſolent ad illud oſtendendum, argumenta, ad hominem evincunt eos adverſus, qui aliquibus nobiſcum conveniunt in principiis, uti de momentis nonnullis ab Fenelone in demonſtratione divinæ exiſtentiæ prolatis, ad Carteſianos relatè ac Malebranchii diſcipulos, animadvertit doctiſſimus

Tour-

Tournamine (*a*): ſecus tamen idem evenire ſolet eos relatè ad homines, qui nullo ſatis ſibi conſtant principio, ſolumque ratione utuntur ad ceteros oppugnandos. Hunc enim verò ordinem nobilioribus utique verbis ſignificare non poſſumus iis, quibus Stoici, de natura divina differentes, frequentiſſimè utebantur; qui tamen ordinem illum quum neceſſarium immanentemque eſſe arbitrarentur, conſequebantur inde Mundum eſſe Deum, & Deum Mundum. Licet, ajebat apud Tullium Balbus (*), oculis quodammodo contemplari pulchritudinem earum rerum, quas divina providentia dicimus conſtitutas. Ac primum terra univerſa cernatur, locata in media Mundi ſede, ſolida & globoſa, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum: adde etiam reconditas auri venas: quæ verò & quam varia genera beſtiarum? qui volucrum lapſus atque cantus?

(*a*) *Pref. ad Oper. Philoſ. Salign. Fenel.*
(*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

tus? qui pecudum paſtus? Quid de hominum genere dicam, qui quaſi cultores terræ conſtituti? quæ ſi, ut animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret. Quod ſi omnes Mundi partes, ita conſtitutæ ſunt, ut neque ad uſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores, videamus utrum ea fortuita ſint, an eo ſtatu, quo cohærere nullo modo potuerint, niſi ſenſu moderante divinaque ſapientia. Si ergo meliora ſunt ea, quæ natura, quam illa, quæ arte perfecta ſunt: nec ars efficit quid ſine ratione, nec natura quidem rationis expers habenda eſt. Qui igitur convenit, ſignum, aut tabulam pictam cum adſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem: cumque procul ſignum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur. 'Mundum autem, qui & has ipſas artes, & earum artifices, & cuncta amplectatur, conſilii & rationis eſſe expertem putare? Quod ſi in Schytiam aut Britanniam, ſphæram aliquis intulerit hanc, quam effecit Poſſidonius, cujus ſingulæ converſiones idem efficiunt in Sole, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus ac noctibus, quis in illa barbarie dubitet, quin ea ſphæra

ra ſit perfecta ratione? Hi autem dubitant de Mundo (loquitur Balbus adverſus Epicureos) ex quo exoriuntur & fiunt omnia, caſu ne ipſe ſit effectus, an ratione & mente divina? Et cum Archimedem arbitrantur plus ea valuiſſe in imitandis ſpheræ converſionibus, quam naturam in efficiendis, præſertim cum multis partibus ſint illa perfecta, quam hæc ſimulata ſolertius? Hoc (Mundum ſcilicet ornatiſſimum effici atque pulcherrimum ex concurſione fortuita) qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo cur non idem putet, ſi innumerabiles unius & viginti formæ literarum vel aureæ, vel quales libet, aliquo conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis, Annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici. Quod ſi Mundum efficere poteſt concurſus Atomorum, cur templum, cur domum, urbem non poteſt? Quæ ſunt minus operoſa, & multò quidem faciliora. Hæc verò quæ Stoicus Balbus adverſus Epicureos luculenter adeò profert, maximum tametſi præſeferre videantur de divina erga Mundum providentia ac gubernatione argumentum, certum tamen eſt, ejus juxtà mentem, nonniſi Stoicam per illa confirmari ſententiam, de univerſali illo re-

bus

bus omnibus circumfuſo vivente principio, & veluti anima Mundi, ex quo conſequi neceſſe erat, Mundum hunc eſſe Deum. Diſputationem ſcilicet de natura Deorum inſtituerat Tullius, ut ad agnitionem animi perveniret; quum enim multi Philoſophorum mentem hominis divinam eſſe cenſerent, indagata Deorum natura, in ſpem erexerat ſe ſe, fore ut humanæ mentis conditio optima demum ratione dignoſceretur. Idem verò eſſe humanam hanc mentem cum divina natura; Deum hominem eſſe, eumque in univerſis & vigere & ſentire, & meminiſſe & providere, non è perſona modo Balbi, ſed & ex illa Scipionis Africani, & in fragmento Timæi, & in libris de legibus latè propugnat, ubi eandem eſſe dicit virtutem hominum atque Deorum, neque virtute ſuperiorem eſſe Dione Jovem, eodemque modo alterum ab altero juvari, Dionem & Jovem: ea verò virtute ubique diffuſa conſtitui mundum ens perfectiſſimum & Deum; quod enim ratione utitur melius docebat eſſe, quam id quod ratione non utitur; nihil autem mundo melius, ratione igitur mundum uti: ſimiliter effici poſſe ſapientem eſſe mundum, ſimiliter beatum,

ſimiliter æternum ; omnia quippe hæc meliora eſſe, quam ea, quæ ſunt his carentia: nec mundo quidquam melius; mundum itaque eſſe Deum. Rurſus : Nullius ſenſu carentis partem aliquam eſſe poſſe ſentientem; mundi autem partes ſentientes eſſe ; non igitur carere ſenſu mundum. Demum ; nihil quod animi , quodque rationis eſt expers , id generare ex ſe poſſe animantem compotemque rationis; Mundum autem generare animantem compotemque rationis; animantem eſſe igitur mundum compotemque rationis (*). Hæ Stoicorum, veterumque Academicorum de naturæ divinæ exiſtentia demonſtrationes , quarum quidem ratione, vulgata illa nonnulli haud demonſtrativa dixere momenta , tametſi demonſtrativa demum ſint, demonſtratis primum ideis, quas de natura divina per veram accepimus traditionem . Demonſtrata verò idearum ejuſmodi certitudine atque conſtantia , jam vim maximam ſumere omnia pergunt , quæ naturali vi luminis ad exiſtentiam perfectiſſimæ illius naturæ oſtendendam ſumimus argumenta . Tunc Philoſophus naturalis illam ex motu , illam demonſtrare pergit Meta-
phy-

(*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

phyſicus primas per entis partitiones, illam denique ceteri mundana hac univerſa ex emolitione, exque operibus quibuſcumque creatis, uti noviſſimè Grewinus, Derhamus, Bruyerius, aliique bellè adeò præſtitere. Qua quidem ratione, demonſtrata juxtà notiones, quas è vera accepimus traditione, hominis eſſentia atque natura, divinæ quoque naturæ exiſtentia apertiſſimè erui poteſt atque dignoſci. Quo enim pacto quaque vi atque virtute partes duæ adeò inter ſe diverſæ, ſpiritus ſcilicet ac materiæ particulæ uniri queunt, ſimulque veluti coire, operari ſimul, alteriuſque ad actionem alteræ moveri, niſi ſummo id præſtante principio, cujus actuoſiſſima virtus omnem captum excedit? Enim verò ex immaterialitate animæ ac libertate, Dei aliquæ dignoſcuntur perfectiones ac veluti proprietates; ut enim ex hominis exiſtentia, quam bellè primum aliquod omnium principium extitiſſe dignoſcimus, ita ex humanæ naturæ proprietatibus egregiis ac perfectionibus, majora illa ac excellentiora æternæ incircumſcriptæ mentis concipiuntur attributa; prædicata namque poſitiva, quæ in nobis ſunt, participationes eſſe videntur aliquales, rerum veluti earum, quæ

reperiuntur in Deo: eaque de cauſſa hominem parvum mundum probè dicendum crediderim, quod ejus ab intrinſecis, traditionis vi rectè ſapienterque perſpectis, nedum eruantur ea, quæ ad extenſionem, res ſcilicet corporeas dignoſcendas pertinent, verum & ea exhibeantur momenta, quibus immateriales naturæ, Deuſque ipſe humanæ preſto aliqualiter eſt cognitioni: unde conſequatur exemplum veluti Dei quemque eſſe in imagine parva, immaterialitatemque, ac libertatem hominis ex immaterialiori liberiorique profectam eſſe principio, quod Deum appellaverimus.

XIX. Fuere enim verò aliqui, qui æterni infiniti Numinis exiſtentiam novis ac peregrinis contenderunt demonſtrare argumentis, uti Mathematica in Philoſophia Weigelius, argumento uſus ab continuata Dei creatione deſumto, quod ille tametſi Mathematica pro demonſtratione quavis Euclidea fortiore celebrare perrexit, ab vera tamen demonſtratione, quam longiſſimè abeſſe ſuo oſtendit in Tentamine Theodicææ Leibnitius: Quum enim ſtatuiſſet ille totum mundum ſingulis momentis loco nihili reipſa reddi recentem, neque tamen ullam rem in mundo

id

id efficere poſſe; neceſſum itaque conſequeretur eſſe extrà mundum, præterque ipſum, infinitum inveniri ens, quod indefeſſus ſit creator: iccircò eſſe Deum; animadvertit è diverſo Leibnitius demonſtrandum eſſe primum, creaturam continuo ex nihilo prodire, eamdemque ſtatim in nihilum recidere, nec niſi ens neceſſarium ſuam per eſſentiam durare ultrà momentum poſſe; difficultatibus immò de compoſitione continui idem agi poſſe argumentum, inextricabili ſcilicet Philoſophorum Labyrintho. Quemadmodum verò omnis actio creaturæ quædam modificationum ipſius mutatio eſt, evidens inde actionem a creatura proficiſci intuitu limitationum aut negationum, quas includit, & quæ per hanc variantur mutationem. Omnis itaque ſubſtantia ſuos producit actus, ſuaſque internas paſſiones, qualitates ſuas, neque opus inde, ut propterea ſciamus, eaſdem quomodo producat, quum in nobis etiam, non ex voluntate, ſed ex natura fluant, quæ relatè ad perceptiones confuſas infinitum involvit, nec a nobis perfectè cognoſci poteſt. Alii eamdem æternæ mentis, diſcretæque ab materia naturæ exiſtentiam evincere ſatagerunt, animadverſione facta ſuper operatio-

tionibus hominum, qui, quum diverſæ adverſæque adeò ſint inter ſe mentis atque ingenii, aut liberi, aut iracundi, plurimum etiam ſuperſtitioſi, imbecillis, ignari, aliquando pluſquam ſatis ingenioſi, adeò denique in diverſa mutabilis; adhuc tamen ita vivant, ut non majora his quæ experimur, patimurque eveniant pericula & mala, quod & Maniliano carmine fortius ſatagunt indicare:

Scilicet eſt aliquid quod nos cogatque regatque
Majus, & in proprias ducat mortalia leges.

Verum, ut ex Hobbeſianis principiis tribui ea moderatio metui (tametſi perperam) poſſet ac neceſſitati, iſta, hiſque ſimilia, ejus ſunt generis, ut intelligi niſi ſumma ratione non poſſint; eſt verò recta & ſublimis Philoſophia paucis contenta Judicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, neque deſcendere omnes in Dei cognitionem cultumque valerent, ſi Philoſophiæ modo ope arcana adeò natura teneri poſſet ac contemplari. Fatetur ultrò docetque apertiſſimè Wolfius, haud vulgari opus eſſe Ontologiæ, Coſmologiæ generalis, atque Pſychologiæ notitia, ut vis demonſtrationum earum, quas in ſyſte-
mate

mate de natura divina contexuit ſuo, percipiatur, qua extorqueatur adſenſus. Quamobrem ſi quis, inquit, (*) deſideret demonſtrationes de Deo ad captum ignavi vulgi contextas, quæ tamen auguſtum adeò nomen tueri poſſint ac valeant, propterea quod ſibi aliiſque perſuadere conatur, veritatem omnem eſſe facilem captu; is abs ſe exigi ſciat, quod impoſſibile: neque enim ardua ullo negotio perfici exiſtimandum eſt. Rideretur ſanè, nec immeritò, qui veritatum ſublimium in Aſtronomia convinci vellet, elementorum prorſus ignarus; neque minus rerum intelligentibus, ſe deridendum propinat, qui quum adhuc peregrinus hoſpeſque in omni Ontologia ſit, Coſmologiaque, & Pſychologia, lucem in naturali Theologia quærit ac concupiſcit, quum in luce meridiana caligare debeat, qui è tenebris in eam ſubitò prorumpit. Nemo igitur in ſyſtemate noſtro ſe ſe competentem judicem exiſtimet, ſubdit, qui nondum perſpectis methodi legibus, & nullo in Ontologia, Coſmologia generali, atque Pſychologia ſtudio collocato judicium deproperat, nec ægrè ferat, ſi deproperatum adeò judicium, tamquam

(*) *Præf. ad Theol. nat.*

quam temerarium, ab rerum intelligentibus contemnatur. Hæc ille. Quum itaque ad naturaliter, benè ſcilicet juſtèque vivendum, humanum omne genus in Dei adgnitione & cultu, proſequutione metuque verſetur neceſſe ſit, tantumque habere debeat ſapientiæ gradum, ut Univerſorum cognoſcat Parentem, cui pietate debita pareat atque inſerviat, in eoque promerendo actus omnes & curam & operam collocet: paucis verò conceſſum ſit philoſophica illa penetrare principia, opus profecto erat, ut per veræ traditionis facem ad cognitionem illam manuduceremur: quæ quidem primæva traditio, uti Chriſtiani nominis recentioribuſque Philoſophis rectas ſuppeditavit de natura divina, ejuſque attributis ideas, quas ipſi exinde naturaliter efficere potuerunt demonſtratas: ita in ceteris eam induxit certitudinem ac firmitatem, quas ab natura ac ratione obtinere minimè potuiſſent. Vel ſuperbiſſimi Philoſophorum, quamvis recta traditione caruiſſent, probè tamen ſuſpicati fuere, veram divinæ eſſentiæ ejuſque adtributorum ideam, ab aliqua potius traditione, quam a Philoſophia eſſe hauriendam; unde apud Tullium Balbus malebat Cottam Sacrorum Antiſti-

tiſtitem audire, quod Pontificis eſſet, eadem eloquentia & falſos tollere Deos, & veros inducere, neque de eorum natura, errantem & vagam, ut Academici, ſed ſtabilem certamque proferre ſententiam (*a*). Meliora verò ſe de colendis immortalibus Diis didiciſſe dicebat, jure pontificio, & more majorum, capedunculis iis, quas ſibi Numa reliquerat, de quibus in illa avreola oratiuncula dixerat Lælius, quam rationibus Stoicorum (*). Cecilium verò ſic alloquentem Felix Minutius facit in Octavio: Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura ſit, quanto venerabilius ac melius Antiſtitem veritatis majorum excipere diſciplinam, religionem traditas colere; Deos, quos a Parentibus ante imbutus es timere, quam noſſe familiarius, adorare, nec de Numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſeculo in ipſis mundi natalibus meruerunt Deos vel faciles habere, vel Reges? Adeò errant ii quorum in ſententia, veritas aut temporis filia eſt, aut rationis, non auctoritatis.

XX. Quod quidem tum etiam verò eve-

(*a*) *Lib. II. de Nat. Deor.*
(*) *Lib. III.*

nire certum eſt, quum in examen revocare pergimus argumenta, quorum cauſſa Philoſophi ſe ſe in atheiſmi barathrum conjecere. Comprehendere ſcilicet haud potuerunt, quanam ratione mundana hæc totius adſpectabilis univerſi emolitio facta fuerit ex nihilo. Increatum itaque & ſine principio dixere Mundum, quod utique plurimum mireris, ii maximè, qui æternum illum minimè duraturum dicebant; Stoici ſcilicet, qui tot tantaque de exuſtione futura hujuſce totius emolitionis prædicavere, unde illa Poëtæ carmina:

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque Regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret. (*)

Atheis nempe ſe perpetuo & ubique contradicentibus; nam & illius opinionis fuit Atheus ille Magius; tametſi combuſtionem illam aliqui genito etiam de Mundo interpretati ſint, Burnetus ſcilicet, qui ſua in telluris theoria ſacra, Orbis noſtri, ut ait, originem, mutationeſque generales, quas jam ſubiiſſe, aut olim ſubiturum autumat complectente, terram hanc ſuapte natura conflagra-

(*) *Ovid. Metamorph. Lib. I.*

Digitized by Google

flagratam demum iri demonſtrare ſe credit, antiquos Philoſophos de adventura mundi conflagratione, exitio terras quum dabit una dies, hacce in parte ſequutus; aut potius Carteſianam de vorticibus alios intra ſe aliquando abſorpturis doctrinam. **Porrò** conjectationes infinitæ pænè adſunt, quibus reapſe oſtendatur, potuiſſe mundum è nihilo produci. Atheorum ſi ejuſmodi ea non fuiſſet ſententia, ut ab demonſtrationibus modo fidem extorqueri poſſe contenderent, quæ in creatione adſtruenda imperviæ adeò ſunt, ut & noſtrorum primores, creationem orbis miraculum dicant, ipſumque per ſupernaturalem actionem cæpiſſe, cujus prior ſtatus per eſſentiam naturamque rerum intelligibili modo nequeat explicari. Itaque & nexus iſte ſolvitur ex ideis illis, quas per primævam accepimus traditionem, idea ſcilicet animæ immaterialis, ſive exiſtentiæ ejus notitia, quam concipimus demonſtratam. Materiam enim quum non alia ratione eſſe arbitrentur æternam, niſi quod imaginari ſatis haud valeant, eſſe eam factam ex nihilo, ſemetipſos quoque autumare deberent æternos. Enimverò immanem hanc inficiari facilè erit conſequutionem, quod paucos ante annos exi-

ſtere inceperint. Verum quid rei eſt, haud multos ante annos cœpiſſe hominem exiſtere? materia enim è qua homines coaleſcunt haud facta eſt eorum in conditione tantummodo exiſtens; eo enim pacto æterna non eſſet. Itaque ſolum quod materiæ virtus & partes ita fuerint diſpoſitæ, hominem demum ut conſtituerent. Aſt hujuſcemodi partium virtute etiam materiæ actarum diſpoſitio homo non eſt; neque enim materiæ figura & motus, aut intimus ardor ac virtus conſtituere ens illud poſſunt quod in homine eſt cogitationis principium, ſed alia utique neceſſe in eo eſt eſſentia reperiatur, ſive naturalis ſubſtantia, quæ per traditionem primum olfacta, humani exinde virtute intellectus efficitur demonſtrata. Hocce verò cogitationis principium quum non cenſeatur æternum, reliquum omninò eſt fuiſſe factum ex nihilo, conſequenter etiam materiam; haud minor enim, immò perfectior utique & intelligentia requiritur, & actio, & virtus ad efficiendam immaterialem ſubſtantiam ex nihilo, quam ad producendam è nihilo univerſam materiæ molem atque congeriem. Nemo quærat (inquit Lactantius) (*) ex

(*) *Lib. II. Cap. 9.*

ex quibus iſta materiis tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit; omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi ſunt Poëtæ, qui ajunt Chaos in principio fuiſſe, confuſionem ſcilicet rerum ac elementorum; poſtea verò Deum diremiſſe omnem illam congeriem, ſingulisque rebus ex confuſo acervo ſeparatis in ordinemque deſcriptis inſtruxiſſe mundum pariter, ac ornaſſe. Quibus facilè eſt reſpondere poteſtatem Dei non intelligentibus; quem credunt nihil efficere poſſe, niſi materia ſubjacente & parata, quo in errore etiam Philoſophi fuerunt, nam Cicero de natura Deorum diſputans, ſic ait: **Primum igitur non eſt probabile, eam materiam rerum, unde orta ſunt omnia, eſſe divina providentia effectam, ſed habere & habuiſſe vim ac naturam ſuam. Ut igitur faber, cum quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed ea utitur, quæ ſit parata; fictorque item cera: ſic iſti providentiæ divinæ materiam præſto eſſe oportuit; non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam. Quod ſi non eſt a Deo materia facta; ne terra quidem, & aqua, & aër, & ignis a Deo factus eſt.** O quam multa ſunt vitia in his decem verſibus! Non eſt, inquit probabi-

babile materiam rerum a Deo factam. Quibus hoc argumentis probas? Nihil enim dixiſti quarè hoc non ſit probabile. Itaque mihi è contrario vel maximè probabile videtur: nec tamen temerè videtur, cogitanti plus eſſe aliquid in Deo, quem profectò ad imbecillitatem hominis redigis, cui nihil aliud, quam opificium concedis. Quo modo igitur ab homine divina illa vis differret, ſi, ut homo, ſic etiam Deus ope indigeat aliena? Indiget autem, ſi nihil moliri poteſt, niſi ab altero illi materia miniſtretur. Quod ſi ſit, imperfectæ utique virtutis eſt: & erit jam potentior judicandus materiæ inſtitutor. Quo igitur nomine appellabitur qui potentia Deum vincit? ſiquidem majus eſt propria facere, quam aliena diſponere. Si autem fieri non poteſt, ut ſit potentius Deo quicquam, quem neceſſe eſt perfectæ eſſe virtutis, poteſtatis, rationis: idem igitur materiæ fictor eſt, qui & rerum ex materia conſtantium. Neque enim Deo non faciente, & invito, eſſe aliquid aut potuit, aut debuit. Sed probabile eſt, inquit, materiam rerum & habere, & habuiſſe naturam ſuam ac vim. Quam vim potuit habere nullo dante? quam naturam nullo generante? Si habuit

buit vim: ab aliquo eam aſſumſit. Ab quo autem aſſumere, niſi a Deo potuit? Si habuit naturam, quæ utique a naſcendo dicitur, nata eſt. Ab quo autem niſi a Deo, potuit procreari? Natura enim, qua dicitur orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt: ſi autem generandi & faciendi potens eſt: habet ergo conſilium; & propterea Deus ſit neceſſe eſt. Nec alio nomine excogitari poteſt ea vis, in qua ineſt & providentia excogitandi, & ſolertia poteſtaſque faciendi. Sequitur ineptiſſima comparatio: Ut enim faber, inquit, cum quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed utitur ea, quæ ſit parata; fictorque item cera: ſic iſti providentiæ divinæ materiam eſſe præſto oportuit, non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam. Imò verò non oportuit; erit enim Deus minoris poteſtatis, ſi ex parato facit; quod eſt hominis; Faber enim ſinè ligno nihil ædificat, quia lignum ipſum facere non poteſt: non poſſe autem imbecillitatis eſt humanæ. Deus verò facit ſibi ipſe materiam, quia poteſt; poſſe enim Dei eſt; nam ſi non poteſt, Deus non eſt. Homo facit ex eo quod eſt, quia per mortalitatem imbecillis eſt, per imbecillitatem

tem definitæ ac modicæ poteſtatis. Deus autem fecit ex eo quod non eſt, quia per æternitatem fortis eſt; per fortitudinem poteſtatis immenſæ, quæ ſine ac modo caret, ſicut vita factoris. Quid ergo mirum, ſi facturus mundum Deus, prius materiam de qua faceret, præparavit ex eo quod non erat? quia nefas eſſet Deum aliunde aliquid mutuari; cum in ipſo, vel ex ipſo ſint omnia. Nam ſi eſt aliquid ante illum factum, & quicquam non ab illo factum eſt, poteſtatem Dei & nomen ammittet. At enim materia numquam facta eſt, ſicut Deus, qui ex materia fecit hunc mundum. Duo igitur conſtituuntur æterna, & quidem inter ſe contraria; quod fieri ſine diſcordia & pernicie non poteſt. Collidant enim neceſſe eſt ea, quorum vis & ratio diverſa eſt. Sic utraque æterna eſſe non potuerunt, ſi repugnant: quia ſuperare alterum neceſſe eſt. Ergo fieri non poteſt, quin æterni natura ſit ſimplex; ut inde omnia, velut ex fonte, deſcenderint. Itaque aut Deus ex materia ortus eſt, aut materia ex Deo. Quid horum ſit verius facilè eſt intelligi. Ex his enim duobus alterum ſenſibile eſt, ſcilicet vivens, alterum caret ſenſu. Poteſtas faciendi aliquid non poteſt

eſſe,

eſſe, niſi in eo quod ſentit, quod ſapit, quod cogitat, quod movetur; nec incipi, aut fieri, aut conſumari quicquam poteſt, niſi fuerit ratione prævíſum, aut quemadmodum fiat, poſtquam fuerit effectum. Denique is facit aliquid, qui habet voluntatem ad faciendum, & manus ad id, quod voluit, implendum. Quod autem inſenſibile eſt, iners, & torpidum, ſemper jacet: nihil inde oriri poteſt, quod ratione præditum non eſt; nec aliunde accipi poteſt id, quod ibi, unde petitur, non eſt. Non ergo Deus ex materia, quia ſenſu præditum ex inſenſibili, ſapiens ex Bruto, impatibile de patibili, expers corporis de corporali nunquam poteſt oriri, ſed materia potius ex Deo eſt. Quidquid enim eſt ſolido & contrectabili corpore accipit externam vim; quod accipit vim, diſſolubile eſt; quod diſſolvitur, interit; quod interit, ortum ſit neceſſe eſt; quod ortum eſt, habuit fontem unde oriretur, factorem ſcilicet aliquem ſentientem, providum, peritumque faciendi: Is eſt profectò nec ullus alius quam Deus, qui quoniam ſenſu, ratione, providentia, poteſtate, virtute præditus eſt, & animantia & inanima creare & efficere poteſt; quia tenet, quo-

Q modo

modo quidque ſit faciendum. Materia verò ſemper fuiſſe non poteſt, quia mutationem non caperet, ſi fuiſſet. Quod enim ſemper fuit, ſemper eſſe non deſinit, & unde abfuit principium, abeſſe hinc etiam finem neceſſe eſt. Materia ergo ſi facta non eſt, nec fieri ex ea quicquam poteſt; ſi fieri ex ea non poteſt, nec materia quidem erit; materia enim eſt è qua fit aliquid. Omne autem ex quo fit, quia recipit artificis manum, deſtruitur, & aliud eſſe incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum cum factus eſt ex ea Mundus: & initium quoque habuit. Nam quod deſtruitur, ædificatum eſt; quod ſolvitur, alligatum; quod finitur, inceptum eſt. Si ergo ex commutatione ac fine materia colligitur habuiſſe principium: a quo alio fieri, niſi a Deo potuit? Solus igitur Deus eſt, qui factus non eſt: & iccircò deſtruere alia poteſt, ipſe deſtrui non poteſt. Permanebit ſemper in eo quod fuit, quia non eſt aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua re pendet, quæ illum mutata diſſolvat. Ex ſeipſo eſt, & ideò impaſſibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, æternus. Jam verò illa concluſio, qua ſententiam terminavit. Tullius,

lius, multò abſurdior. Quod ſi materia, inquit, a Deo non eſt facta: nec terra quidem, & aër, & ignis a Deo factus eſt. Quam callidè periculum prætervolavit. Sic enim ſuperiùs illud aſſumſit, tamquam probatione non indigeret: cum id multò eſſet incertiùs, quam illud propter quod aſſumtum eſt. Si non eſt, inquit, a Deo facta materia, nec Mundus a Deo factus eſt. Ex falſo maluit colligere quod falſum eſt; quam ex vero quod verum. Et cum debeant incerta de certis probari: hic probationem ſumſit ex incerto, ad evertendum quod erat certum. Certiùs eſt igitur, Mundum providentia inſtructum, quam materiæ providentia conglobatum. Quarè non oportuit putare, iccircò Mundum non eſſe providentia factum, quia materia ejus providentia facta non ſit: ſed quia Mundus divina providentia ſit effectus, & materiam eſſe factam divinitùs. Credibilius eſt enim materiam potiùs a Deo factam; quia Deus omnia poteſt: quam Mundum a Deo non eſſe factum: quia ſine mente, ratione, conſilio nihil fieri poteſt. Hæc verò omnis diſſerendi ratio è traditione primæva procedit, ſive potiùs ex entis perfectiſſimi ab omni materiæ con-

cretione diſcreti per traditionem hauſta patefactaque idea, qua qui caruere, materiam è nihilo conditam conceptu impoſſibilem eſſe dixerunt, vetuſque effatum, è nihilo nihil conſtitui poſſe, achilleum eſſe argumentum, illudque ſe ſe humanæ continuo perpetuoque obferre imaginationi, ibique ſplendidè adeò corruſcare, ut aliquid quamvis ceperimus de creatione concipere, rem tamen infectam relinquere debeamus. Ubi enim efficiens infinita cauſſa potentiſſima & actuoſiſſima adſit, materialis carentia cauſſæ, ſtolidum pro neganda creatione, & atheiſmo ſtabiliendo principium eſt, inane omninò fulcrum, & vel exſibilandum infantibus argumentum. Ens enim omnipotens, habens ante in conſpectu ſuo rei ideam, quando vult, ut aliquid reverà iſti ideæ ſimile exiſtat, hoc ipſo efficit ac ponit realiter id ſimile, quod antea non erat niſi in idea. Vim autem divinæ hujuſmodi voluntatis nullus bene concipit ſive comprehendit, niſi ipſemet Deus volens atque omnipotens; tametſi ſimile aliquid in nobis, ut ut imperfectiſſimis animadvertamus; quando ſcilicet cogitamus de corpore noſtro, fortaſſe quieſcente, verſus hanc illamve locorum aliquorum partem moven-

vendo; dein verò id volumus, quod cogitavimus; atque tum illico exiſtunt illius motus volitæ determinationes variæ, quæ antea neque erant in ſe, neque etiam materialiter in mente, ſed ſola idea atque voluntate. Et ego quidem ab docili homine, veraque traditione imbuto, creationem ſanè negandam minimè arbitror, etiamſi concipere fortaſſe non valeat modum, quo condita è nihilo materia fuerit atque confecta. Quis enim comprehendere umquam potuit, quo nam pacto ab uno corpore alteri tribuatur motus? quis enodare objecta adverſus angulum contingentiæ, atque continui, cum ex infinitis, tum etiam ex finitis partibus compoſitionem lata? quarum quidem rerum eſſentiam licet, aut modum ignoret, earum tamen de exiſtentia non dubitat. Brevi nempe intellectus noſter finitus limite, nimiaque ſub nocte jacens noſtra dies, in earum adſurgere non valet intimam cognitionem rerum, quæ modo humanis viribus ſuperiori productæ ſunt. Itaque modo ſi certi per primævam veriſſimamque æterni Numinis traditionem ſimus, materiam eſſe conditam è nihilo, non eſt cur de modo, quo facta a Deo eſt, adeò ſimus ſoliciti; cur velimus magna modis tenuare

par-

parvis, curve æternis minorem conſiliis animum fatigemus: hoc jure contenti, ut etiamſi quomodo materia fiat ignoremus, factam tamen eſſe intelligimus. Fuit mens iſta Lactantii, adverſus Epicurum quærere ſolentem, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit Deus? Videret fortaſſe (regerit ille *) ſi eo tempore potuiſſet eſſe, quo fecit Deus? Quaſi verò ex hoc putandum ſit, non eſſe hæc divinitus facta, quia quomodo facta ſint, non poteſt pervideri. An tu, ſi educatus in domo fabrefacta & ornata nullam umquam fabricam vidiſſes: domum illam putaſſes non ab homine eſſe ædificatam; quia quomodo ædificatur ignorares? Idem profectò de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris: quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta eſſet opera molitus; maximè ſi ſaxa ingentia, immenſa cementa, vaſtas columnas, opus totum ſublime & excelſum videres: nonne hæc tibi humanarum virium modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus, quam ratione atque artificio facta eſſe neſcires? Quod ſi homo, in quo nihil perfectum eſt, tamen plus efficit ratione,

quam

(*) *Lib. II.*

quam vires ejus exiguæ patiantur; quid eſt cur incredibile tibi eſſe videatur, cum mundus dicitur factus a Deo? in quo, quia perfectus eſt, nec ſapientia poteſt habere terminum, nec fortitudo menſuram. Opera ipſius videntur oculis: quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem videtur; quia mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto propinquare non poteſt, propius ſcilicet accedere, & intelligentia ſubſequi: ideoque terrenum adhuc animal rerum cæleſtium perſpectionem non capit, quia corpore, quaſi cuſtodia ſeptum tenetur, quo minus ſoluto, ac libero ſenſu cernat omnia. Sciat igitur quam ineptè faciat, qui res inenarrabiles quærit; hoc eſt enim modum conditionis ſuæ tranſgredi, nec intelligere quouſque homini liceat accedere. Denique quum aperiret homini veritatem Deus, ea ſola ſcire nos voluit, quæ interfuit hominem ſcire ad vitam conſequendam: quæ verò ad curioſam & prophanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana eſſent. Quid ergo quæris, quæ nec potes ſcire, nec ſi ſcias, beatior fias? Perfecta eſt in homine ſapientia, ſi & Deum eſſe unum, & ab ipſo eſſe effecta univerſa cognoſcat.

XXI.

XXI. Et ex hiſce profecto ſummis veritatibus, quæ per traditionem innotuere, ad agnitionem modo æternæ mentis ipſam nos manuducere conſtat, eaſque ad leges, quæ naturale ad jus ducunt, & ad ordinatam humani generis ſocietatem: cetera verò noſtris reliquit Deus diſputationibus, unde honeſtè vitali hoc fruamur otio, aut anſam ſumere poſſit animus ad altiora cognoſcenda. Scire enim quot ab annis, quo temporis ſpatio, quibus intimis partibus atque principiis, quo demum ordine conditus orbis fuerit: quæ quidem haud proclive definire eſt, propter veteres recentioreſque hiſce in rebus ſententiis diverſos, ad inſtituendum ordinatè hominem, aut ad humanam nihil pertinent ſocietatem. Sive namque momento conditum illum fuiſſe contendas, dies eos, quibus Moſes mundum factum deſignat, prophetiam eſſe annorum interpretatus, quibus duraturus eſt mundus; ſinguli quaſi dies millenario reſpondeant, quod unus dies apud Deum ſicut mille anni: ſive ſex dierum ſpatio contextum etiam credas, aut qualem modo adſpicimus creatum arbitreris; ſive cælum primum, terramque è nihilo, reliqua dein ex illis, tamquam è præjacente materia: ſive

cæle-

cæleſtes omnes atque terreſtres creaturas ſimul factas intelligas ; hæc inquam omnia qua ratione ſe habeant dignoſcere, ornatum hominem facere poſſunt, non æquiorem certè, aut magis in ſocietate beatum. Heinc nulla de illis, ſimilibuſque traditio, quod eorum cognitio neceſſaria hominum conditioni ac ſocietati non ſit, ſed aliquale potius delinimentum. De intimis enim mundi exordiis rationi tributum eſt, ut ea quæ probabiliora viderentur, poſſit meritò definire; qua quidem in re, quam tenuis ac imbecillis ſit omnium hominum ratio evidentiſſimè elucet ; phyſicarum ſiquidem de principiis rerum æterna adeò fuere Philoſophos inter diſſidia, ut neſcire cogaris, cui nam ex illis palmam deferre, aut herbam dare juſtè ſanctèque debeas, iccircò pænè meritò Carneades Clitomachuſque univerſa incomprehenſa pronunciaverint, Hermiaſque Chriſtianus Philoſophus veterum irriſerit demonſtrationes ac placita, naturaliumque vanitatem ſcientiarum evincere pertentarit Agrippa. Enim verò haud defuere, qui Anaxagoram ſenſiſſe velint rebus omnibus res omnes eſſe immixtas, illudque unum adparere, cujus ſint pluria mixta, & magis in promtu, pri-

maque in fronte locata. Parmenides verò calidum frigidumque principia fecit, quæ ignem appellavit ac terram: Heraclitus ignem modò voluit: Xenophanes è diverſo aquam & terram prima ſtatuit rerum elementa, earumque poſtremam principium dicere Jonum antiquiſſimo fertur placuiſſe Thaleti. Excepere Diogenes Apolloniates & Anaximenes: univerſum quod eſt, id aër eſt, qui denſatus atque concretus aqua fit, ſin rareſcat, & diffundatur, æther & ignis; in ſuam verò naturam reverſus, aër liquidus: ſin denſetur, inquiunt, mutatur: quæ quidem ſententia & recentiori Capycio adridere viſa eſt. Empedocli ſi fides, omnium exordia fuere inimicitia & amicitia, quarum hæc congregat, illa diſgregat, earumque contentio cuncta in generatione conſtituit: definit autem ea & ſimilia eſſe, & diſſimilia, & infinitum, & extremum habentia, & æterna & facta. Verum enim verò ea negavit Protagoras, terminumque, judiciumque rerum hominem eſſe dicens, & quæ in ſenſus cadunt res eſſe, quæ verò in eos non cadunt, nec in naturæ quidem formis exiſtere. Alii cum materia exemplar, formas alii cum eadem intima voluere rerum exor-

dia:

dia: Atomorum demum doctrinam aliqui Epicureis non modo, verum & Pythagoræ adriſiſſe volunt, Ocho, Sanchoniatoni. Recentiorum plurimi toti in experimentis fuere, unde chimicæ illæ vulgatæ ſubſtantiæ; tametſi neque illa methodus, rebus omnibus naturalibus cognoſcendis apta certaque dicenda ſit; ut enim Chawino animadverſum in Lexico, inveniri vix aliqua pro hypotheſi poſſunt experimenta, quin pro altera ſtatim haud ſuppetant contraria aliis ab Auctoribus relata. Sunt immò, qui ex ſolis obſervationibus de vero ſyſtemate arbitrentur determinari non poſſe; in tanta enim, & adhuc nobis incomperta cæleſtium corporum diſtantia, mediique aëris denſitate ac varietate, & inſtrumentorum tam difficili uſu, nullas, quibus fidendum omninò ſit, ad ſyſtema condendum ſatis tutas obſervationes haberi poſſe contendunt. Solis unam diſtantiam, quæ cæleſtium obſervationum cardo veluti ac fundamentum eſt, adeò illuſiſſe adhuc obſervatoribus animadvertunt, ut quæ duæ, magno ſuorum Authorum nomine celeberrimæ habentur, Caſſiniana ſcilicet, ac Hiriana, adeò diſcrepent inter ſe, ut minor, alterius neque ſit ſubſeſquialtera: Quot-

quot hactenus ſyſtema terræ motæ immotæque expoſuerunt, aſtronomicè quidem ſatis bene plures: neminem tamen phyſicè, ne probabiliter quidem dummodo ſingula ſeriò percipiantur, explicaſſe; nam vel ad hypotheſes, temerè prorſus & ex arbitrio confictas, dilapſos eſſe: vel comentos principia non verè phyſica, ſed tantummodò mathematica; cujuſmodi ſunt leges ac canones motuum, quorum vel nullum adfertur principium phyſicum, unde profluerent; vel nullum ſatis exploratum experimentum, ex quo deprehendantur; vel tandem, quæ aſſumſere, adeò abſona eſſe per ſe, ut iis numquam poſſit animus acquieſcere, veluti inter reliqua, gravitas mutua corporum, ſeu univerſalis. Heinc tot cæleſtibus de corporibus errores, uti de cometis, quos alii aëris in regione è terreis exhalationibus generari dixere, alii è planetariis, eos adhuc in aëre locantes; multi agregationem ſtellularum, multi nihil aliud eſſe voluere, quam cæleſtis materiæ fortè denſatam partem, oculos verſus noſtros ſolare lumen reflectentem; nonnulli verò ſtellas eſſe, motus quæ habeant præfinitos per ſpatia a nobis adeò remota, ut videri tunc tantum queant, quum immenſo

ex

ex æthere deſcendunt, noſtroſque per mundi limites feruntur; nonnulli demum rem vorticum theoria definire contendunt, cometaſque Solem eſſe vorticis unius alterius in ſinum vorticis delapſum, quorum adventum certam ad periodum aliqui etiam referunt: Neſciunt an calculum hi ſuum rectè ponant alii, ridentque facilè canentes, gentibus & terris mutantem regna cometen. Noſtris fateor temporibus non amplius aſtrologica obtinent pſeudotheoremata, argutæque illi & delectabilis aculei deſidiæ, quos vetuſtiſſimis placuiſſe ferunt; non amplius ut olim (quæ ſæculi erit levitas) climatericos imperiorum, Religionum, hominum annos adſignare adfectant ſapientes; non amplius, uti de Mathia Corvino Hungariæ Rege legimus, atque Ludovico Sfortia, opus aliquod Aſtrologis inire inconſultis nefas; non amplius Cœlum librum eſſe ducimus, aut ſi certè librum eſſe credimus, illum tamen ſubtiliter adeò ſcriptum fatemur, ut præter eum qui ſcripſit, nemo vel conjecturaliter legat. Eam, de qua dixi potiùs Scientiam, Matheſim ſcilicet, depereunt hodie homines, tametſi haud ſcio an illius ope totius naturæ vices rectè valeant definire. Et audiunt

diunt quidem Mathematicorum effata, rerum pondera atque momenta, ſeque ſatis exiſtimant, qui in illis hodieque verſantur, maris ac terræ, numeroque carentis arenæ aërias tentaſſe domos, animoque rotundum percurriſſe polum, extra proceſſiſſe longè flammantia mœnia mundi, ſuorum quemque ejuſmodi arbitrantur:

meritò cui doctior orbis
Submiſſis defert faſcibus imperium.

Verum nemini perſuadere de facili poſſunt, geometricas illas demonſtrationes exiſtenti in rerum natura materiei poſſe adeò aptari, ut matheſis demum omnis revocetur ad praxim. Enim verò tametſi demonſtrationes ejuſmodi certiſſima undecumque veritate gauderent, ea ſolum ratione, qua humana in mente ſemel exiſtunt; quod tamen relatè ad omnes falſum omninò; quum extenſio cum finitis, tum partibus conſtans infinitis in Geometria demonſtretur: quarè ſi ſemel demonſtratum ſit, alicujus materiæ partes eſſe finitas, nullo exinde pacto conſtantes eſſe demonſtrationes illæ poterunt, quibus oſtenſum eſt lineam quadrati diagonalem partes continere infinitas;

tas; quorum quidem ex incertitudine principiorum ea repudiavere Academici & Sceptici, multaque iis confutandis ſubtiliter & eruditè diſſeruere: docuitque Epicurus Geometriam & reliquas artes mathematicas, utpotè ab initiis non veris profectas, veras eſſe non poſſe: quod & Polyæno Lampſaceno perſuaſit magno in matheſi viro, & alia ratione ab aliis oſtenſum eſt; ut inquam certiſſimæ eſſent demonſtrationes etiam omnes Mathematicorum, uti in ideis verſari ſolent ac mente, quum pæne omnes tamen verſari circa quantitatem videantur abſtractam, qualis nulla reapſe exiſtere poteſt, fit iccircò, ut quæ apud ejuſmodi homines vera eſſe creduntur, eſſe dein reprehendantur falſa, ubi è quantitate illa abſtracta, phyſicam deducuntur ad quantitatem, ſive ad naturales corporum effectus. Neque enim demonſtrationes illæ circa abſtractiones modò verſantur, verum & ad ſuperficies abſque profunditate, ad lineas abſque latitudine, ad puncta abſque dimenſionibus refferri videntur; hæcque omnium pæne eſt geometricarum demonſtrationum anchora & puppis. Sequitur inde animum noſtrum ſemper in phantaſmatibus ludere, in objectis ſcilicet

ex-

extrinſecè vulgoque evidentibus, quibus tamen in rerum natura nihil reipſa ſimile exiſtit. Leibnitius equidem operam in eo locavit ſuam, ut actualem materiæ extenſionem Matheſis necteret cum ideis (*), cujus tamen doctrina ſatis oſtendit quanta laboraret in charybdi; proprietates namque, quæ de circulo demonſtrantur, lineæ ſcilicet omnes, quæ duci ab circumferentia ad centrum poſſunt, intra mentem modo exiſtunt, neque reali umquam circulo poterunt advenire. Hæc vero non ii modo faſſi religiosè ſunt, qui mathematicis de rebus minus in præſentia delectantur: (ita ſcilicet comparata eſt hominum natura, aliena ut floccifaciant, ſua è diverſo ad uſque aſtra extollere conentur) verum & Principes in Matheſi Viri, uti Magnus ille Gaſſendus, qui Mathematici, inquiebat, imprimiſque Geometræ quantitatem abſtrahentes a materia, quoddam quaſi Regnum ſibi ex ea fecerunt quam liberrimum, quippe nullo facto ab materiæ craſſitie pertinaciaque impedimento. Quare & ſuppoſuere imprimis in ea ſic abſtracta ejuſcemodi dimenſiones, ut punctum, quod foret prorſus immune partibus, fluendo li-

neam

(*) *Epiſt. ad Bal.*

neam longitudinemque latitudinis expertem crearet. Atque iſtæ quidem ſuppoſitiones ſunt, è quibus homines illi intra puræ abſtractæque Geometriæ cancellos, & quaſi Regnum conſiſtentes, ſuas illas præclaras texunt demonſtrationes. Uno verbo, Mathematici ſunt, qui in ſuo illo abſtractionis Regno, & indiviſibilia ſupponunt, quæ ſine partibus, ſine longitudine, ſine latitudine ſint, ut eam multitudinem diviſionemque partium, quæ ad finem numquam perveniat; non item verò Phyſici, quibus in materiæ Regno verſantibus tale nihil licet (*). Et ego quidem hominum ingenia plurimum laudo, quod in eſſentia naturalium rerum perveſtiganda verſentur aliquando; magis tamen laudarem, ſi toti in cognitionibus practicis fuiſſent, in indaganda origine juris, earumque legum, quæ veræ religioni, & naturali inſerviunt ſocietati. Scientiæ enim illæ contemplativæ, temporariæ modò ſunt, inque earum fortuna ſtat ſua cuique dies. Jam enim Carteſiani gloriabantur de veritate; itinere per Carteſianum mundum facto omnes, aut certè non pauci Newtoniani facti ſunt, Wolfiumque ſequuti, qui mathematicas de-

S pe-

(*) *Sect. III. Phyſic. Lib. III. Cap.* 5.

pereunt diſciplinas. Sed neque diu Newtonianum ſtetit imperium; Virum enim magni olim nominis Voltaire, viſumque primi ſubſelii Scriptorem, queruntur in præſenti, Newtonianum agentem, in ordinem nempe redactum, ſuiſque ſe factum manibus gregalem, ſuum immò per orbem infelici ex Carteſiano pæne fato: Banerii in ſcriptis Danielem alterum, moleſtum ſcilicet itineratorem expertum. Id fuit poſtea Leibnitius in Germania, quod in Anglia Newtonus, & Carteſius in Galliis. Quiſque apud ſuos Philoſophiæ Regnum obtinuit. Eorum diſcipuli ampliandis Regni finibus, ac vindicandæ magiſtris Univerſalis Monarchiæ gloriæ acerrimo ſtudio contenderunt: at irrito conatu; ut enim Regibus, ita & Philoſophis vaſtarum nimium acquiſitionum tempora ceſſarunt. Nihil nempe præter id, quod traditione accepimus certum, conſtans, ac perpetuum eſt. Excogitabat olim Orpheus ſuos & Planetas habere incolas: evanuit demum illa perſuaſio; & ita quidem evanuit, ut præteriti ſæculi homines vix non ſomniantem crederent Arioſtum, ſua ex Orphei carminibus de Planetarum incolis modulatum. Hæc quæ fabula audiebat, opinio dein

facta

Digitized by Google

facta eſt, apud aliquos demum ſententia: fortaſſe redibit in opinionem, & iterum in fabulam, vitio illius ſapientiæ, quæ ſtabili traditionis fulcro innixa non eſt. Olim ſententia erat, animo prædita eſſe corpora cæleſtia, bipertitoſque eorum motores, quorum unus, veluti purus nuduſque intellectus movere dicebatur cælum, ſicut amabile amantem; alter verò moveret, ut efficiens motum, quemadmodum amantem movet virtus, quæ amantem ipſum informat. Olim muſicalem cæleſtium corporum ſymphoniam canebant Pythagorei. Exoleta ſunt iſta modo omnia, diverſaque apud omnes obtinere videntur placita, quæ tranſibunt pariter, novaque ſuccedent, ipſa etiam interitura. Sola traditio divina, philoſophia eſt æternum duratura, ſola conſtans ac firma, quod uti inſtituendæ, ita neceſſaria retinendæ ſit naturali humani generis ſocietati. Nihil ad benè beatèque vivendum profectò refert fuerint an non cæleſtia corpora ejuſdem cum elementari materiæ: nihil eundem arbitror pertinere ad finem, Solem ne in meditullio locatum eſſe univerſi, aut ejus orbem è diverſo circum terram moveri exiſtimemus: terra ne ſphœrica perfectè ſit, an polos ver-

ſus protenſa ; hiſce enim quocumque modo conſtitutis, eadem remanet ſocietas hominum naturalis. Quamquam apertè fateor, diſceptationes illas inanes quidem eſſe exiſtimandas relatè ad Veteres aliquos, minutos quidem ridendoſque phyſicis in rebus Philoſophos, ſecus verò ſi noſtrorum præſtantiores reſpiciamus. Quod enim cum Stellis atque Planetis terra perpetuo, eoque rapidiſſimo motu feratur, Viri profectò eximii Sapientiam Conditoris infinitam creatis in rebus demonſtravere : exque figura terræ cognita maximum ſperandum eſt, fore ut exurgat vela per mare dantibus adjumentum. Plurima itaque quæ de Deo quæri ab aliquibus ſolent, quæque tantum non habent aut cum ultimo hominis fine, aut cum divinitus revelata doctrina, cumque naturali jure, & regenda ſocietate nexum, Philoſophorum diſputationibus relicta ſunt, & otio ſapientum. Enumerant enim aliqui cauſſas inter efficientes eam, quæ ſuimetipſius eſt cauſſa, quæque tantopere perfecta eſt, ut nullo alio præter ſe indigeat ad exiſtendum, cujuſmodi Deus eſt: Inquirunt alii quanam ratione æterna ac infinita mens moveat cetera in Univerſo? Alii, poſſitne, quæ impoſſibilia viden-

videntur, facere? Cur demum nonnulla ejus conſilio orta ſint? tametſi haud ſcio quonam humanas mentes difficiles adeò raperent quæſtiones, & obſcura diligentia. Prudentis enim & religioſi animi eſſet ea nulla ratione definire, nec etiam inquirere; quod nec in magnis ponderibus ducere poſſimus ea vel ignorare, vel ſcire; unum poſuiſſe contenti, nihil a Deo Principe quod nocens ſit atque exitiabile proficiſci: nihil ab eo fieri, niſi quod ſit omnibus ſalutare, quod dulce, quod amoris & gaudii lætitiæque pleniſſimum, quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates. Verum Dei de operibus per traditionem vindicatis mox erit latius diſputatum.

DE

DE PRINCIPIORUM LEGIS NATURALIS *TRADITIONE.*

LIB. II.

I. NOn creatio modo, verum & creatæ res doctrina primævæ indigent traditionis, ut ad Deum referri valeant, ejuſque cum exiſtentia ac adtributis contendere minimè videantur. Ii ſcilicet, qui aut magnis clareſcere gaudent inimicitiis, aut non ſine ſuo magno malo nimis ſapiunt, rebuſque non demonſtratis fidem detrahunt, quum naturæ opera neque invenire queant, neque exponere, eam tamen inertiæ atque inſcitiæ condemnant, dicuntque conceptu impoſſibile, omnipotentem ſummèque liberum ſpiritum, inque materia ineluctabili conſtitutione non exiſtentem, ſed pro placitis operatum, univerſum hoc efficere potuiſſe, in quo tot temporum ſunt, tot fortunæ, naturæque impetus atque inſidiæ, quarum de cauſſa dubitant, eorumque coitu cum ſanctitate & bonitate divina.

Con-

Conqueſtos ſuo dicebat tempore Seneca, quoſdam etiam ſapientiam profeſſos, quod non magnitudine corporis æquarent homines elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros; quod ſolidior eſſet belluis cutis, decentior damis, denſior urſis, mollior fibris; quod ſagacitate nos narium vincerent canes, quod luminum Aquilæ, ætatis ſpatio corvi, animalia multa nandi felicitate. Et quum quædam ne coire quidem in idem natura paſſa ſit, ut velocitatem corporis, pareſque animalibus haberemus vires; ex diverſis & diſſidentibus bonis hominem haud eſſe compoſitum injuriam vocaſſe ait, & in negligentes noſtri Deos querimoniam jeciſſe, quod non bona valetudo, & vitiis inexpugnabilis data eſſet, quod non futuri ſcientia; vixque temperaſſe ſibi, quin eouſque imprudentiæ proveherentur, ut naturam oderint, quod infrà Deos eſſent, quod non in æquo illis ſteterint (§). Qua equidem vaniſſimorum ſpecie objectorum abeſt adeò aliquid ut adverſus Opera perfectiſſimi rerum omnium Conditoris perfecerint, eorum potius ut pulchritudinem oſtenderint ac neceſſitatem; imperfectum enim illud in phy-

(§) *Lib. II. de Benef. Cap.* 29.

phyſicis modo eſt, quod connaturalibus ac propriis, non quod ceteris, aut aliquibus utcumque, carere dicitur virtutibus ac perfectionibus, Illa immò ſpecierum, virium, operationumque in natura diverſitas, ſpecioſa quantum eadem ſit humano exhibet intellectui, ac infinito ſapientiſſimoque reſpondeat Conditori; unde & varia Terræ ſtrata, diſſimileſque ſuperficies, variam juxta hominum plantarumque indigentiam poſita conſpiciantur. Alia verò ratione argumentari audent recentes Naturaliſtæ, ad mala ſcilicet reſpicientes cum phyſica, tum etiam moralia, quibus undique obſidemur, nempe intemperie temporum, doloribus hominum, vitiis ac infortuniis, unde auras adſpiciente homine, maligna, eorum ſententia, noverca hæc natura:

Concilium deforme vocat, glomerantur in unum
Innumeræ peſtes Erebi, quaſcumque ſiniſtro
Nox genuit fœtu, nutrix diſcordia belli,
Imperioſa fames, læto vicina ſenectus,
Impatienſque ſui morbus; Livorque ſecundis
Anxius, & ſciſſo mœrens velamine luctus.
Et timor, & cœco præceps audacia vultu.
Et luxus populator opum, cui ſemper adhærens

Infe-

Infelix humili greſſu comitatur egeſtas.
Fœdaque avaritiæ complexæ pectora matris
Inſomnes longo veniunt examine curæ. (§)

Ut enim ajebat ille, qui è perſona Tullii ſe ſuper morte filiæ conſolabatur: fac naſci hominem & in lucem edi: continuò ſenties non rerum humanarum dominum, & gubernatorem exortum, ſed veriùs miſeriarum ſervum atque incommodorum; nam infantiam, & pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis uſus, dolores, moleſtiæque quamplurimæ amplectuntur. Adoleſcentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec judicii compos: rerum utilium ac laudabilium contemptio: voluptatis, & ſæpe turpitudinis appetitio: veri boni ignoratio: in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia; ex his contentiones, rixæ, contumeliæ, aſſiduus denique moleſtiarum concurſus exſiſtit: ex rebus honeſtis contemtis infelicitas & infamia: ex turpibus curioſè arreptis & conquiſitis, luctus, morbi, perpetuum denique ſui ipſius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde inſanas pecunia-

T rum

(§) *Claud. in Ruffin.*

rum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non uxoris, non poſterorum, non familiæ; quæ ſi quis ætatis potiùs vitia, quam naturæ miſerias vellit appellare: quamquam nominis quæſtionem inducat, non tamen ipſas ab homine miſerias atque incommoda removebit. Nec verò audiendus erit, qui hæc ab humanæ naturæ miſeriis ſeparanda putet, quod non in natura inſita ſint, ſed unius, vel aliquorum hominum errores videantur: totius autem naturæ illa eſſe affirmet, quæ a nullo prorſus homine ſejungi poſſint. Quaſi verò humanum non ſit iraſci, quod multi non iraſcantur, aut non humanum loqui, & ſocietatem coire, quod multi reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quam cum hominibus congredi, aut ſermonem cum aliquo conferre. Verè autem humanæ miſeriæ ſunt, quod etſi non omnes in uno, certè omnes in omnibus, & aliqua in multis, & multæ ſæpe in uno agnoſcuntur. Jam, conſtantis ætatis quot, quantæque miſeriæ ſint, non difficilè eſt intelligere, at difficillimum enumerare. Hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famæ fortunarum una maximè

incur-

incurrit. Sicut enim ceterarum omnium ætatum, ad res negotiaque tum privata, tum publica peragenda aptiſſima eſt, maximèque idonea: ita etiam una, præ ceteris omnibus, difficultatum, miſeriarumque omnium, quæ ex publica privataque adminiſtratione oriuntur, particeps & ſocia eſt. Hæc privata amicorum negotia procurat, hæc publica ſuſtinet munera: hæc gloriam & commodum ex rebus feliciter evenientibus, hæc ærumnas & moleſtias ex adverſis experitur. Huic bonorum civium propugnatio, huic malorum accuſatio propoſita eſt: huic invidia & æmulatio a bonis imminent, a malis pericula & inſidiæ intenduntur: ætas numquam ſibi ipſi non infeſta, numquam pacata: ſemper laborioſa, ſemper anxia & ſollicita; quæ ſi non aliquos interdum vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex aſſiduo labore perciperet, ſeipſam profectò regere ac tueri non poſſet. Nunc quæ extrema de ætatibus ſupereſt, quid ego de ſenectutis incomodis, ac miſeriis loquar? quas plurimas eſſe & graviſſimas, & nomen ipſum languoris, calamitatiſque pleniſſimum indicat, & adſpectus ipſe ſenum hominum patefacit. Quid eſt enim aliud ſenem videre tremen-

tem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem vivum, aut viventem mortuum? Ac, ſi nonnullis viſum eſt, magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem, prudentiam, uſu rerum quæſitam, quæ illius ætatis propria eſt: eoſdem illos fateri oportet, ex eo ipſo fonte manare etiam ad ſenes non minimum doloris atque moleſtiæ. Qui enim ſe prudentem rerumque agendarum peritum agnoſcit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis vitio, optimè etiam perficere non poſſe? &, ſi patriam diligit, cur non angatur, quamquam conſilio juvat, opera etiam juvare non poſſit? eoque major prudentium dolor eſt, quod optimorum conſiliorum fructum nulla alia ratione percipi poſſe, quam ſi optimè ad exitum perducantur, intelligunt: quod, niſi vir optimus, patriæque amantiſſimus ad agendum accedat, prorſus inania ſint futura. Quid jam de generibus hominum loquar? aut numquid principes viros, & medios, & infimos æquè miſeros eſſe negare poſſum? Reges ipſi quam miſeri ſint, quantoque opere, ſollicitudini, timori, atque inſidiis propoſiti, ſatis oſtendit Dionyſius, cum imminente capiti gladio Damoclem fortunæ

ſuæ

ſuæ felicitatem voluit experiri. Nec mirum: cum iis bellorum calamitates, agrorum vaſtationes, populorum cædes, urbium exitia immineant. Quæ cum eveniunt, qui victoria potitur, aliquid & ad gloriam & ad imperium ſemper acquirit: ſed tanta præterea rerum amiſſio, tantuſque ſumptus conſequitur, ut magni conſtet victoria, ac plerumque præſtiterit, numquam arma ſumpſiſſe. Sin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo ſtatu miſerius ne cogitari quidem poteſt; ſiquidem captivitati, inopiæ, luctui, contemptui conjunctus eſt. Sed fac Regem eſſe a bellorum impetu, & a caſtrorum pulvere remotum, ſua pacatè poſſidentem, nulla hoſtium incurſione vexatum: num iccircò tutior, num a miſeriis ſecurior? quin immo, ut otium humana natura non fert, ipſe ſibi moleſtiam & ſollicitudinem exhibebit. Nam aut de augendis vectigalibus, aut de producendis finibus, deque urbibus ad imperium acquirendis, aut de jungendis cum potentioribus propinquitatibus & amicitiis cogitabit. Quæ qui animo agitat, nec a moleſtia liber eſt, nec alios ſecuros ac quietos eſſe ſinit. De avaritia verò, maxima animorum peſte, nolim hoc loco pluribus

ribus

ribus diſputare : quæ in deſide atque otioſa mente quam maximè exoritur : eaque erectiores animos, & altiores dignitatis gradus maximè ſolicitat. Huic generi infimum hominum genus opponitur : quod, ut nomine abjectiſſimum, ſic re quoque omnibus calamitatibus atque angoribus eſt propoſitum. Huic inopia, fames, contumelia, injuriæ, tributorum ſolutio, militiæ incommoda, miſera denique omnia perferenda ſunt : eoque miſerius eſt, quod ceteris omnibus, cum adverſa fortuna premuntur, per multa tamen ſuppetunt, è quibus conſolationem, doloriſque levationem petunt. At infimam plebem natura ipſa fatali quadam neceſſitate tam abjecto, tamque imo loco collocavit, ut omnibus ærumnis ſubjecta, nulla propemodum ratione erigi, aut ſublevari poſſit. Ne mediocris quidem hominum conditio miſeriarum expers eſſe cognoſcitur. Nam inter ſummum & infimum interjecta, alteri patet, alterum patitur ; cui ſi imperare poſſet, certè longiùs a miſeria diſtaret. Sed quia neque dignitate præſtat, nec ſummos viribus adæquat, ſuo ſtatu contenta eſſe cogitur. Itaque multis in civitate perfungitur incommodis, non illis quidem parum Reipublicæ fructuo-

ctuoſis, aut valdè ad ferendum gravibus & aſperis: ſed quæ tamen animum ſollicitent, & humanas miſerias augeant. Nec verò alia eſt fœminarum conditio, aut enim iiſdem, aut parum certè diverſis & moleſtiis & angoribus vexantur. Nam & iiſdem morbis, quibus viri, & iiſdem animi perturbationibus mentiſque erroribus objiciuntur; eoque miſerior illarum ſtatus eſt, quo mollior natura, & ad propulſanda incommoda, calamitateſque perferendas infirmior. Eaſdem quas Viri, ex parentum, fratrum, ſororum, affinium interitu moleſtias & dolores hauriunt: maritos ſæpe fatuos, parum de re domeſtica ſolicitos, pecuniam profundentes nanciſcuntur; ex quo paupertas & luctus; quibus malis eo premuntur gravius, quod non ut homines indagare poſſunt, qua maximè ratione medeantur incommodis, rebuſque ſuis conſulant. Quis itaque ſtupidos Democritum Heraclitumque arbitrari poſſit, quorum alter:

Ridebat quoties a limine moverat unum
Protuleratque pedem, flebat contrarius alter,

quod deridendam prior, poſterior collachrudam conferet hominis conditionem? Quibus

qui-

quidem anguſtiis qui temporum intemperies addunt, ſceleſtorum hominum felicitates, rerum ceterarum imperfectiones ac monſtra naturæ, horum è neceſſitate malorum mundum arguunt Sapientiſſimo ab Numine, cui ſanctitas ſumma ſit ac præſtantiſſima bonitas, aut aliqua cum virtute libertas, conditum eſſe non poſſe: quarè & nullam præter hoc adſpectabile univerſum, in quo omnia ſuapte natura ac neceſſariò eveniunt, naturam eſſe divinam; ut enim quibuſdam minus mali fuit non omninò videre, quam perperam videre, velut Herculi, qui filios videns pro hoſtibus occidit: ita levius eſſe ajunt malum Deum non omninò credere quam credere noxium. Noxius autem, eorum audaci imperitaque ſententia, Deus eſt, naturam ſi condiderit tot onuſtam malis, atque infortuniis.

II. Huic enim verò objecto pluribus occurrunt quidem filii Philoſophorum, ſapientiſſimè tamen ac peremtoriè, ii ſolum, qui primævæ innituntur traditioni. Illi quippe ea qui caruere, vel effectus aliquos naturæ malos eſſe adverſus ſenſuum evidentiam inficiati ſunt, vel malam omninò dixerunt rerum omnium naturam. Dulcis ſcilicet hæc vita

vita aliquibus videbatur, quod mala eſſent mortalibus communia, quodque homines quoſcumque nullo diſcrimine habuiſſet natura, quum tamen nemo eſſe deberet, cui leva ſub parte mamillæ cor ſaliat, qui invidioſum adeò ſibi dare poſſet ſolatium. Nonnulli è diverſo in mœrore eſſe dicebantur, quum hac de communi omnium conditione audiviſſent, ea non eſſe lege natos, ut nemo in perpetuum eſſe poſſit expers mali; quam neceſſitat eo duriorem crudelioremque eſſe dicebant, quod mala patimur neceſſariò, aut etiam univerſi. Chryſippus eum ad ſolvendum nodum neceſſe ajebat eſſe inquiramus, natura ne ipſa rerum, vel providentia, quæ compagem hanc mundi, & genus hominum fecit, morbos quoque & debilitates, ægritudineſque corporum, quas patiuntur homines fecerit? Exiſtimat autem haud fuiſſe hoc præcipuum naturæ conſilium, ut faceret homines morbis obnoxios: numquam enim hoc conveniſſe naturæ Auctori, Parentique rerum omnium bonarum: ſed quum multa, inquit (*a*), atque magna gigneret, pareretque aptiſſima ac utiliſſima, alia quoque ſimul agnata ſunt incommoda iis ipſis, quæ facie-

 bat,

(*a*) *Ap. Gell. Noct. Attic. Lib. VI. Cap. I.*

bat, cohærentia: eaque non per naturam, ſed per ſequelas quaſdam neceſſarias facta. Sicut, ait, quum hominum corpora natura fingeret, ratio ſubtilior utilitateſque ipſa operis poſtulavit, ut tenuiſſimis minutiſſimiſque oſſiculis caput compingeret: ſed hanc utilitatem rei majoris, alia quædam incommoda extrinſecus conſequuta ſunt, ut ſcilicet fieret caput tenuiter munitum, & ictibus offenſiaribuſque parvis fragile: proinde morbi quoque & ægritudines, dum ſalus oritur, partæ ſunt. Sic hercle, ſubdit, dum virtus hominibus per conſilium naturæ gignitur, vitia per neceſſariam veluti adfinitatem oriri debuerunt. Hanc enim verò relatè ad mali phyſici originem & cauſſam Chriſippi ſententiam amplexus ſuo videtur in ſyſtemate Malebranchius, Deum operatum fuiſſe ſtatuens per leges quaſdam univerſales, è quibus fieret, ut aliqua veluti mala per accidens evenirent: eademque in ſententia verſati videntur aliqui etiam Chriſtiani nominis Patres. Quid enim, inquiebat Arnobius (§), ſi prima materies, quæ in rerum quatuor elementa digeſta eſt, miſeriarum omnium cauſſas ſuis continet rotatio-

(§) *Lib. I. contra Gent.*

tionibus involutas? quid ſi ſyderum motus certis ſignis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & ſubjectis afferunt variorum diſcriminum neceſſitates? Quid ſi ſtatis temporibus rerum viciſſitudines fiunt, atque ut in maritimis æſtibus, modò ſecundæ res affluunt, modò rurſus refluunt malis reciprocantibus proſpera? Quid ſi materiæ fæx iſta, quam ſub noſtris calcamus ingreſſibus, hanc habet ſibi legem datam, ut expiret nocentiſſimos halitus, quibus corruptus aër iſte, & corporibus labem ferat, & negotia infirmet humana? Quid ſi, quod proximum vero eſt, quidquid nobis videtur adverſum, mundo ipſi non eſt malum: omniaque quæ fiunt noſtris commoditatibus ſtatuentes, opinionibus improbis criminamur eventa naturæ? Plato ille ſublimis apex philoſophorum & columen, ſæva illa diluvia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum ſuis eſſe, in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit humani generis ſubverſionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innovationem vocare, & juventutem his quandam redintegratis viribus comparari. Non pluit inquit cœlum, & frumentorum copia neſcio qua laboramus? Quid

enim inſervire elementa tuis neceſſitatibus poſtulas? atque ut vivere mollius & delicatius tu poſſis, obſequia temporum tuis debent commoditatibus ſe dare? Quid enim ſi hoc pacto navigationis cupidiſſimus conqueratur ventos jamdiu non eſſe, & cæli conquieviſſe flaturas? Nunquid ideo dicendum eſt perniciosam eſſe tranquillitatem illam mundi, quia vectoribus impediat vota? Quid ſi Sole aliquis torſere ſe ſuetus, & acquirere corpori ſiccitatem, ratione conſimili conqueratur frequentiſſimis nubilis jucunditatem ſerenitatis ablatam? Nunquid ideo dicenda ſunt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur otiosè rutilare ſe flammis, & cauſas potionibus præparare? Eventa hæc omnia, quæ fiunt, & accidunt mole ſub hac mundi, commodulis non ſunt noſtris, ſed ipſius pendenda rationibus ordinibuſque naturæ; nec ſi aliquid accidit, quod noſmetipſos, aut res noſtras parum lætis ſucceſſibus fovit, continuò malum eſt, & in exitiabilis rei opinione ponendum. Pluit mundus, aut non pluit: & quod forſitan neſcias, aut uliginem nimiam ſiccitatis ardore decoquit, aut longiſſimi temporis ariditatem pluviarum effuſionibus

nibus temperat. Peſtilentias, morbos, fames, atque alias ſuggerit malorum exitiales formas: unde tibi eſt ſcire, ne quod exuberat, ſic tollat, ut per ſua diſpendia modum rebus luxuriantibus figat? Tu audeas dicere hoc & illud eſt in mundo malum, cujus explicare, diſſolvere, neque originem valeas, neque cauſſam? & quia tuas impediat deliciarum, forſitan & libidinum voluptates, perniicioſum eſſe atque aſperum dicas? Quid ergo, quia frigus membris tuis adverſum eſt, & congelare ſanguinis tui fervorem ſolet, iccircò in mundo hyems eſſe non debet? Et quia perferre flagrantiſſimos ſoles non potes, ex anno æſtas tollenda eſt? atque aliis legibus alia rurſus ordinanda natura? Veratrum venenum eſt hominibus, numquid ob hanc cauſam non debuit naſci? Ovilibus inſidiatur lupus, numquid in culpa natura eſt, quod lanitiis extulit importuniſſimam belvam? Morſu animam Serpens tollit: maledicam ſcilicet primordiis rerum, quod tam ſæva prodigia genituris ſpirantibus addiderunt. Superciliosa nimirum res eſt, cum ipſe ſis non tuus, aliena etiam in poſſeſſione verſeris, potentioribus dare conditionem velle, ut id fiat, quod cupias, non

quod

non quod in rebus inveneris antiquis conſtitutionibus fixum. Quarè habere ſi locum veſtras vultis querimonias homines, prius eſt ut doceatis unde, vel qui ſitis, vobiſne ſit genitus & fabricatus mundus, an in eum veneritis alienis ex regionibus inquilini. Quod quum dicere non ſit veſtrum, neque explicare poſſitis cujus rei cauſa ſub hac cæli convexione verſemini, deſiſtite arbitrari pertinere ad vos quicquam: cum ea quæ fiunt, non pariliter fiant, ſed ad ſenſus ſummam redeant referanturque totius: Hæc ille: eique rem adeò difficilem explicandi rationi, diverſis eſto verborum ſignificationibus ſororio jungenda vinculo, quæ Philoſophi ceteri protulere; phyſicos videlicet defectus mala quidem particularia eſſe, ſecus verò relatè ad univerſum, neque a Deo fuiſſe volita, tantum verò permiſſa, cruciaturque ad materiæ rationem ſuapte natura conſequi, eaque lege, qua plures in opere ſuo relinquit umbras artifex, ut ex illis mage fulgeant colores, aliqua permittere Deum, quæ videntur mala, ut ex iis meliora poſſint evenire: hominem pars veluti ſi ſpectetur univerſi, perfectiorem haud potuiſſe produci; quem Deus quum pro ſe ipſe finxiſſet abque intelli-

telligibilium contemplatione rerum ad pravas aliquando ferri animadverteret cupiditates, agricultura voluit ac pecuaria implicari, quum terris ſpontaneam frugum ubertatem & copiam ademiſſet, ut hominum inſanas libidines ea cura minueret, ut advitam conquirendam, religione quadam obligaret, quum ſuos labores abſque Dei munere & conceſſu inanes eſſe ſentiret: neve agros immanitate belluarum efferari, aut ſtirpium aſperitate vaſtari pateretur, quod futurum erat, ſi terra fœta frugibus, vitibus, & vario leguminum genere, omnia cum largitate & copia hominibus abſque cultura fudiſſet, infortuniaque & mala neceſſaria aliquando eſſe, ne omnino mens humana deſiperet, unde datam humano generi rationem, ut bonis maliſque viciſſitudine interminata propoſitis, in illis probè diſcernendis undique verſaretur. Latè hæc omnia demonſtrare perrexit ſua in Theodicæa Leibnitius, ubi barbaro ſub veſtitu quantum gemmarum & auri laceret de facili rimatus, ſcholaſticas pone doctrinas ac diſtinctiones, tametſi diverſis veluti ſub imaginibus ac verbis, optimo ſanè conſilio, ſcientiis ceteris ac eruditioni conjunxit; Grotium ea in re

ſa-

ſapienter imitatus, quem, celeberrimi inſtar recentis Philoſophi Wolfii, & Sholaſticcos pæne omnes legiſſe novimus, & horum de adverſariis modum olim tenere neſciis fuiſſe conqueſtum.

III. Optima hæc verò eſt ſuper origine malorum, quæ in natura reperiuntur diſſerendi ratio, ſi vel hebetes eam adſequi poſſent, vel ſubtilioribus poſſet eadem adridere; vel ad hominem ſemper argumentari datum eſſet, eos ſcilicet adverſus, qui ex datis principiis poſſunt inde neceſſariam in conſequutionem induci, uti reipſa momentis ejuſmodi optimè ſapientiſſimèque utebantur Chriſtiani nominis Patres, quod dogmaticos contra Philoſophos diſputarent; quod ſecus eveniat neceſſum eſt, tum quum res eſt adverſus Scepticos, eoſque qui nulli concedunt principio. Philoſophis nempe aliquibus, quibus maximum ratio duriſſimumque perpetuò videtur eſſe tormentum, multa adhuc malo adparent contigiſſe fato, reſponſaque illa vix non inficetas eſſe conjectationes; inficiari itaque neminem umquam poſſe, infinitum agens, quod ſuperius ſit ad naturæ leges, potuiſſe mundum condere, conſequenterque, uti ajunt, ſi ſanctum infini-

finitè omnipotens, bonumque eſt, debuiſſe, tot illis abſque infortuniis maliſque, quibus ſcatere eum undique certum eſt; humanæ enim cruciatus naturæ ab ea pendere lege, quæ motus eſt inter corporis ac cogitationes mentis; potuiſſe liberum iccircò atque non invidioſum agens, leges alias ſtatuere eas inter ſenſationes ac motus, quibus tot exundantium undique malorum facta fuiſſet expers infelix nimium miſeraque mortalium, animantiumque omnium natura; omnipotentiſſimum immò ſtatuere Auctorem non potuiſſe modò, verum & reipſa particulares aliquando per leges fuiſſe operatum, diſcrimenque illud voluntatem inter poſitivam ac permiſſivam in Deo, naturamque inter univerſalem ac particularem inanes omninò eſſe ac arbitrarias, unde conſequi neceſſe ajunt, aut fateamur oportet ejuſcemodi doctrinas nodos non tam ſolviſſe, quam ſecuiſſe Gordios, aut alio repetendam è fonte mali phyſici, quod in natura neceſſariò eſt, originem ac fundamentum.

IV. Illud enim verò, ſententiis omnibus probè perſpectis, una illa exhibet divini Numinis traditio, quod utique tale videtur eſſe, ut auctis illis nimium immodeſtiſ-

que objectis facere ſatis poſſit, & vulgare hominum genus in ſui perceptionem rapere ſtatim poſſit atque conſenſum. Hancce enim ſui in conditione naturam ab perfectiſſimo factore ſuo pulchram ac ſine malis, aut imperfectionibus, morbiſque contextam fuiſſe diſcimus, ac ſapientiæ virtutique reſpondiſſe ſupremi ac benefici agentis, cujus ſub æquo imperio infinitaque juſtitia, nemo quum, niſi demereatur, miſer eſſe & infelix poſſit; unicum eſt palladium ſacraque ſolvenda anchora, ſi videlicet cenſeamus naturæ mala, hominumque dura tormenta, pœnas eſſe humano generi debitas, quod ab Rege ac ſupremo Conditore ſuo perduelle egerit, quod ejus mandata contempſerit, quod ab luce illa naturalis legis averſum, ad mundanas haſce ſe converterit tenebras, impetuſque animi inordinatos. Enimverò tametſi pœnam illam neque eſſe poſſe jugulum cauſſæ arbitrentur ii, qui per doctrinam ajunt illam incidere in Scyllam cupientes vitare Charibdim, nullo enim pacto lapſum hominis cum omnipotentiſſima ſanctiſſimaque voluntate nectendum; nec tamen Rhodus ille eſt, nec ſaltus; quum non divina quidem, ſed humana voluntas ſua cum libertate fons,
ra-

radix, & origo fuerit moralis, quod inter mortales graſſatur, mali. Ingrata nempe hominum natura munus illud ſuave adeò humanæ libertatis, ad ſeligendum bona inter ac mala traditum, ſuum vertit in Legumlatorem Deum; & quæ omnium una humanam videbatur conſtituere poſſe ſocietatem, ejus officia ſuſdequavertit ac leges, quo factum ut adverſus naturam ſuam homo operaretur. Ex ipſa verò ortum in natura diſſidium, everſaque eſt, quam Deus in natura locaverat, leges inter mentis ac corporis harmonia, interque tres illos amores, operationum naturæ fontes ordinata proportio. Suo ſcilicet primus hominum actus arbitrio nativam virtutem vitiavit ac perdidit, nos noſtra acti libertate ea delabimur in ſcelera, quorum permiſſio Deum indicat liberi factorem operis, non ſua ſecum voluntate pugnantem. Enimverò in primo illo hominum parente, non cunabula modò ut in nobis elementaque virtutum, ſed integram fuiſſe perdocet traditio perfectamque naturam, cujus ſuperior, nobiliorque pars inferiori ac gravi lænè poterat ac facillimè dominari, neque ita agebatur ac rapiebatur affectibus, ut lex corporis legi mentis eſſet adverſa.

Ea verò vis virilior fortiorque præſentiſſima efficiebatur ſuperaddita cæleſti virtute; quæ uti ſauciatas in Poſteris integrat voluntates, ita Protoparentem omnium ea conſtituerat feliciſſima in conditione, ut ſuperare fortiter inridentis Angeli inſidias, inque virtutis ſemita perſeverare conſtanter poſſet ſi voluiſſet. Hoc enim verò præpotentis atque ſapientiſſimæ æterni Numinis virtutis robur, arcanum eſt in ſyſtemate Traditionis, quo bene feliciterque conſtituto, neque ſocietatis officia humanæ naturæ impoſſibilia, aut repugnantia audire poſſunt, neque adamiticum facinus ſanctitati ſummæ bonitatique Dei infinitæ tribuendum. Enim verò tametſi ad bene ſapienterque operandum, non rationem modò, ſed præclara etiam nobis atque apta adminicula viſa ſit præſtaſſe natura, quum ſcilicet per lenes quoſdam & compoſitos animi motus erga objecta tum virtutem innatam animæ, tum etiam ſenſus demulcentia rapimur, quæ honeſta ſuapte natura ſunt atque virtuti conjuncta; rebelles tamen haud ſemel alii, accenſi nimium, iracundique animi impetus, ab machinali inſtinctu ac ſpirituum commotione profecti, animum agunt adeò atque detorquent, ut eo-

eorum colliſione perpetua atque conflictu non angi modo ac diſcruciari, ſed ad inhoneſta & virtuti adverſa rapi miſeri mortales, impetuſque ipſi nulla videantur poſſe ratione ſuperari. Quum enim in nobis fervet animi calor, qui per alterius oculos ad intima delatus præcordia vires paullatim carpit, ac circa jecur ſæviens ulceroſum medullas urit, in quibus acerrimum tandem movet incendium; ille, inquam, animos adeò furiare ſolet, ut fortis eſto natura ſua, iners evadit tamen illa, quæ reliqua fuit innata in homine virtus, aut etiam honeſtatis illecebra, nec averſum tunc animum poteſt de facili provocare. Probè etiam virtutem noverat, deperireque & ſequi videbatur Medea, inhoneſtum quoad potuit averſata; aſt quum amantis anima ubi amaret magis, quam ubi intelligeret, eſſet ac animaret, traxit in vitam nova vis, vicitque cupido mentem meliora ſuadentem: In libertatem itaque vendicare ſe videbatur:

Dixit & ante oculos rectum, pietaſque, pudorque
Conſtiterant, & victa dabat jam terga Cupido.

Viſo licet iterum Jaſone in propè excuſſas præceps rurſus ſe dedit flammas, quæ animam

mam ſemel ingreſſæ æternum agitant; unde & lugentes campi non paucas earum habere finguntur, quæ crudeli amore perierunt. Fortior itaque cum innata virtute, tum honeſtate virtutis in debili adeò poſt lapſum homine, atque paſſionibus acto, neceſſaria vis eſt; ne ſcilicet illud ceteris eveniat in regenda vita, quod Mathematum Profeſſoribus proprias de lineis punctiſque contemplationes materiei aptare volentibus; dum enim intellectu agitur res, eorum quiſque ſibi eſt magnus Apollo. Quilibet, uti mavult, materiem dimenſionibus, quas reapſe habet in ſe, carere jubet: Res in vado eſt, adſuntque modò pulcherrimæ de natura circuli demonſtrationes, de diviſibilitate continui infinita; quarum tamen vel unam ſi ad materiem extrà mentem ſumtam revocare quis ſtudeat, duram profectò eam invenit impenetrabilemque nemo ſibi ſat potens, nulla ſatis utilis contemplatio. En humanorum adfectuum imaginem relatè ad legis cognitionem ac in eo ſtudium, ordinem qui perfectum, naturæ vi, animo in mortali poſceret. Eos enim animi impetus, eaque deſideria, quæ divina prorſus ac ſupra naturam virtus non regit ac moderatur, ejuſque fun-

da-

damentis non innituntur, bene beateque regendæ vitæ paria nequaquam ſunt, pravique adfectus, etiamſi per rationem aliquando temperati, ut extincta parum fideliter incendia, majore flamma reviviſcunt; ordinati immò animi motus virtutem, etiamſi ſuapte natura ſequi videantur, ſi tamen auxilio ſuperiore careant, minus veluti fundati, variis ac quotidianis incommodis facillimè labefactantur, ſubſiduntque paullatim & concidunt; contra ſi matura ſtabilique ſuperaddita virtute fulciantur, ingruentibus laboribus atque periculis, non modò non quatiuntur aut corruunt, ſed etiam magis magiſque confirmantur, & corroborantur in dies. Divini itaque præſentia auxilii grande arcanum eſt in vera illa, quæ ſola eſt, Traditionis philoſophia, quod inaniter evertere conati ſunt ii, qui particularibus hominum ſyſtematibus nixi, in præſcientia illa prævilioneque peccati, vel homini tribuendam minus dixere libertatem, vel eo pacto malam videri, vel ſervandam adhuc cum impoſſibilitate ad peccandum practica: Argumenta quippe ad hominem ſunt hæc eos adverſus, qui non primævam illam Traditionem cum ratione conjunctam, ſed alia profeſſi

feſſi videntur placita, ſeque veluti in vincula conjecere. Ipſi viderint, ac ſolvant. Hi certè ſuo ſe vallo clauſi, malè cum hoſte univerſum circumquaque agrum populante depugnant; circumdabit enim eos tandem, ſuàque opprimet in munitione. Ita profectò eſt. Naturam depravant aliquando homines ſuis cum additamentis. Illi è diverſo, primævam qui Traditionem, & illam quidem, non quam inſidiosè fatentur Ædilem metuentes, unaque cum evidentibus mentis notionibus, & ſana faciunt cum ratione pugnare; ſed quam humana mens & comitatur, & concipit, illi, inquam, tantum ſequuti ducem in apricum prodire poterunt, hoſtemque, quocumque demum ſit agredi & ſuperare.

V. Veterum quidem aliqui ea de cauſſa fortuitos eventus divinæ directioni imperioque ſubtraxere, quod ſecundæ res pravis obvenire ſoleant, dirigeretque potius Deus in effecta fortunæ homines æquos atque ſapientes, quum è diverſo ſæpè videamus imprudentiſſimos quoque ac perditos eſſe felices; eoque in argumento noſtri temporis Athei perditè ſe triumphare gloriantur, quod illi ſolvendo nexui inanes videantur conſolato-

riæ

riæ Philoſophiæ ſententiæ; infelices ſcilicet eos etiam eſſe, quibus vultu ridere videtur fortuna ſereno: nihil eſſe ex omni parte beatum: immò non ſemel qui ſpem vultu ſimulat, premere altum corde dolorem: tametſi humanæ fragilitatis nimia ſit proſperis in rebus oblivio, fieri tamen haud poſſe, quin gaudium vertatur in luctum; è lætitia non ſemel in lachrymas rapi mortales, quos, ut res dant ſe ſe, magnos atque humiles eſſe decet; rem enim quancumque mutationi obnoxiam eſſe; arbores magnas diù creſcere, una hora extirpari: ſtultum, earum fructus qui ſpectat, altitudinem non metitur: Leonem quoque minimarum aliquando avium fieri pabulum, ferrumque a rubigine etiam conſumi: nihil tam firmum, cui non periculum ſit etiam ab invalido: ubi luſere navigia, ibi ſæpè ſorberi: Hominem vix itaque eſſe, qui ob improſperas atque minus ſecundas res miſeram ſe dicit agere vitam, aut irrequietum eſſe animi, dum indagine vana quærit fortunam perpetuò fugientem: Illam, ubi paullum ſe ſe oſtendit, mox alterum veluti Protheum, in mille facies converſam, ſequentem eludere & angere: eſſe ejus dona umbras modo & ſpe-

ctra, quibus illudimur, nec ad felicitatem ducere aut animi, aut ſocietatis: omnia nimirum habere, qui nihil concupiſcit, eo quidem certiùs, quam qui cuncta poſſidet; dominium ſcilicet rerum collabi ſolere, bonæ mentis uſurpationem nullum triſtioris fortunæ recipere incurſum: nihil itaque adtinere aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miſeriarum ſtatu ponere; cum & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus ſit referta, & hujus horridus adſpectus veram adferat felicitatem: Virtutem denique per mala probari & conſtare, vitia per voluptates. Infortuniaque & mala neceſſaria aliquando eſſe, ne omninò mens humana deſipiat. Reapſe dum nondum fortuna ſe Alexandri animo ſuperfuderat, ita ſe geſſit, ut omnes ante ſe Reges continentia ac moderatione feliciter ſuperaret. Poſt victoriam enim ad amanicas Pylas relatam, regias excellentis formæ Virgines Darii filias tam ſanctè habuit, quam ſi eodem, quo ipſe, Parente genitæ forent. Conjugem ejuſdem, quam nulla ætatis ſuæ pulchritudine corporis vicit, adeò ipſe non violavit, ut ſummam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet. Omnem cultum

tum reddi fœminis juſſit, nec quicquam ex priſtinæ fortunæ magnificentia captivis, præter fiduciam defuit. Aſt qui orientem fortunam moderatè & prudenter tulerat, magnitudinem ejus ferre inde non valuit, victorque gentium a ſuis ipſe vitiis victus & ſuperatus eſt. Ab Heleſponto enim ad Oceanum uſque Gentes omnes victoria emenſus, & Liberi Patris imitatus triumphum, nec ſuperbiam triumphare potuit, nec iram, nec ebrietatem, nec ab amicorum cædibus inter epulas abſtinere, nec egregios bello viros, & tot gentium ſecum domitores, indicta cauſſa, veritus fuit occidere. Adeò naturam dediſcunt homines dum ſe permiſere fortunæ. Apud veteres etiam Romanos ex copia & otio laſciviebant animi, & externæ paci quæſita confeſtim diſcordia domi continuabatur: iidemque bello Punico ſecundo, Cannenſi calamitate accepta, majores animos habuere, quam rebus umquam ſecundis; enerves enim ac molles odiſſe virtus ſolet. Militaris diſciplina acriter olim apud Quirites retenta, aliquando etiam aſpero & abſciſſo nimium caſtigationis genere (vires enim armis conſtant, quæ ubi a recto itinere deſciverunt, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur)

ea inquam principatum Italiæ Romano imperio peperit, & multarum Urbium, magnorum Regum, validiſſimarum gentium regimen largita eſt, fauces Pontici ſinus patefecit; Alpium, Taurique montis convulſa tradidit clauſtra, ejuſque ope è parvula Romuli caſa totius terrarum Orbis columen, & jus triumphandi ortum eſt. Summa è diverſo in Reipublicæ felicitate Romana cecidit virtus, & gloria; nimiæ enim opes magnæ jacturæ locum faciunt, ingentiaque veluti & enormia gubernacula facilius mergunt, quam regunt, quod habeant irritam copiam, noxiam nimietatem. Quot in proſcriptione Sullana truncati fuere divitiarum cauſſa? quot è virtute migraverunt in ſcelera? Exemplorum infinita copia eſt in Hiſtoria etiam præſentis memoriæ. Indica enim in Conquiſitione, quæ & quanta durities, frugalitaſque Luſitanorum erat! Quadam enim die, qua relata ingens de hoſtibus fuit victoria, ad obligandum cujuſdam inter Victores vulnus adeò lineamenta defuere, ut in idipſum è ſuis tunicis unam (levis dictu res ceterum haud quaquam negligenda) Prætor ipſe protulerit. Ut jam, ſubdit Hiſtoriarum Indicarum Author egregius,

gius (*a*), pænè portenti ſimile videatur, maſculum adeò nuper, aſperumque in armis genus, ad tantos tam brevi deflexiſſe veſtium adparatus, conviviorum elegantiam, & exquiſitæ ac lautæ ſupelectilis inſtrumenta. Sed nimirum, quæ ſoli ubertas, & affluens copia rerum omnium, ad Capuam Pænos, in Græcia Syriaque Romanos emolliit; eadem in Oriente, per Indorum, Sinarumque commercia, variis captos voluptatum illecebris Luſitanos infregit; ac primo paupertatis contemtus in mores eorum invectus: inde luxus, otiumque ſuccifis induſtriæ ac parſimoniæ nervis, priſcam ſeveritatem ac diſciplinam, ingenti bonorum dolore labefactavit ac ſolvit. Horum autem conſideratio rerum dogmaticorum aliquos eam in opinionem induxit, ut mala dicerent ac infortunia eſſe neceſſaria virtuti, naturalis imò ordini ſocietatis: eadem utinam, vel Sceptici ſentirent! Negant enim verò Athei hiſce è ſententiis alicujus Numinis providentiam erga Genus humanum probatam iri, ſolum verò virtutem ſeipſa eſſe contentam. Horum verò utrumque falſum non modo eſt, verumetiam naturali legi ſocietatique contra-

(*a*) *Maſei Lib. VI. Hiſt. Ind.*

trarium; ſicut enim neque domus, neque Reſpublica ratione quadam & diſciplina deſignata videri poteſt, ſi in ea nec rectè factis præmia exſtent ulla, nec ſupplicia peccatis, ſic humana ſocietas nulla eſſe potuiſſet, ſi in ea, præter honeſtatis nomen, diſcrimen nullum fuiſſet bonorum atque malorum. Pluribus celebrat XII. Tabularum libellum Cicero, quod ex illis juſtus & verus, atque honeſtus labor honoribus, præmiis, atque ſplendore decoretur: vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte multentur, doceanturque homines non infinitis, concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate metuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, propria tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere (*a*). Magis enim quid utile? quid dulce ſit? quid ſpem foveat, metumque adimat? requiritur in objecto, quam quid æquum ſit? quid probum? quid honeſtum? ac cum vera virtute, veritateque conjunctum: quippe quum prope nulli tantam indepti ſint virtutem, quantam ſingulares aliqui pauciſſimi homines, qui rationem

(*a*) *Lib. I. de Oratore.*

nem ſe modo ducem ſequi profeſſi ſunt, aut potius quum non adeò tot ſint in univerſo animalia gloriæ, heinc nulla fuiſſet, aut conſtare dici potuiſſet humana ſocietas, ſi ad benè juſtèque vivendum, nullo alio agi debuiſſent homines motivo præter honeſtatem. M. Junio Silano & C. Norbano Flacco Coſs. gravibus Senatus decretis libido fœminarum Urbis coercita, cautumque ne quæſtum corpore faceret, cui Avus, & Pater, & Maritus Eques Romanus fuiſſet; nam Veſtilia prætoria familia genita, licentiam ſtupri apud Ædiles vulgaverat, more, uti ait Hiſtoricus (*), inter Veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant. Decepti itaque Veteres illi, qui rei inhoneſtatem ſat potens futurum humanæ licentiæ frænum ſibi facilè nimis perſuaſere; lex ſiquidem nulla eſt, ubi anima legis non eſt, videlicet obligatio, ubi non lictor legum, nullus ſcilicet metus eſt. Hoc enim verò bonorum malorumque diſcrimen ab altero pendet naturalis legis principio ab veræ traditionis doctrina inſtitutioneque profecto, quod perennitatem edocet animorum, diverſaſque hominum con-

(*) *Tacit. Lib. Ann. II.*

conditiones, dum ſcilicet erit animus poſt fata ſuperſtes; Deum non negligere humana, ſuperbiæ & crudelitati, etſi ſeras, non leves tamen pœnas venire, ex præſenti malorum felicitate, nullum eſſe adverſus divinam providentiam argumentum. Hocce enim haud firmiter credito, apud illos, quibus mors ultimum terribilium eſſet, quo non plus ultrà, humana haud obſtarent judicia timendumque jure foret, ne tametſi contemplativè modo diſcrimen noſcerent actus inter bonos ac malos, practicè tamen in omnia ſocietati adverſa ruerent flagitia, quum humanarum fortaſſe non haberent, aut latere poſſent Judicem, aut iram ejus ſuperare ac fugere, aut vellent mori; humano enim

Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet.
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.

VI. Enim verò veteribus cum Academicis conveniunt noſtri temporis Deiſtæ, qui ab hominibus, ac ſi integra adhuc natura eſſent, neque paſſionibus undique raperentur, non modò abſque præmiorum ſpe metuque pœnarum amandam docent eſſe virtutem,

tem, verum ſpem etiam illam metumque ſtatuunt eſſe cum vera virtute non poſſe: Plato equidem ac Theophraſtus neminem ad fidem perſolvendam cohiberi debere ſentiebant, ideoque præſtare promiſſa eodem modo ac generoſitate excellere hominum in poteſtate eſſe debere; non enim ſupplicii metu, ſed ſuapte natura induci firmiter homines poſſe autumabant, ut ea exequerentur, quæ promiſiſſent; ſatiſque hominibus perſuaſum eſſe debere dicebant, etiamſi Deos omnes, hominumque genus celare potuiſſent, nihil tamen avarè, nihil injuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum; pœnas enim impios luere, non judiciis, quæ quondam nuſquam erant, multifariam aliquando nulla ſunt; ubi ſunt etiam perſæpe falſa ſunt; ſed ut eos agitent, inſectenturque furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ fraudiſque cruciatu. Quaſi verò grande eſſe frænum poſſet illud ſocietatis leges violaturis! viſque conſuetudinis & imperium potens adeò non eſſet, ut naturæ rationem ac veluti larvam induere nulla ratione valuiſſet. Eſt quidem naturæ jus, quod nobis non opinio aut humanæ leges, ſed quædam innata vis

 affert,

affert, ut religionem, pietatem, gratiam, vendicationem, veritatem proſequamur; Verum ſunt non ſemel æſtimatio & opinio rerum humanarum Reginæ; eſtque ingenium hominis, dum aliqua tenetur conſuetudine, Polypo, aut Chamaleonti ſimile: quæ duo animalia alterum aquis latitans, alterum frondibus involutum facilè ſe in omnem coloris ſpeciem ejus rei, cui adhæſerint, induunt. Videant itaque, an homines malis conſuetudinibus actos inſectarentur furiæ, non ardentibus tædis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu; quum ne quid æquum quidem, quid optimum, quid honeſtum ac naturæ conſonum ſit ſcirent, ac animadverterent. Aſt, inquiunt, ſi homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet, quænam ſollicitudo vexaret impios ſublato ſuppliciorum metu? Nulla profectò. Verum hacce eadem è cauſſa, ne malè dicamus proviſum fuiſſe ſocietati, ſtatuendum eſt, neceſſariam fuiſſe primævam traditionem, quæ homines doceret, numquam non adeſſe ſupremum aliquem Judicem, qui humanis etiam aut non exſtantibus, aut conniventibus, aut falsò judicantibus, hominum rimatur acta, inque eos animadvertet, ſi non hac in vita,

in

in qua profectò mali aliquando proſpere agunt; feliciſſimus enim & perpetuò victor fuit Sylla, qui patriam prorſus evertit, qui in bello armatos, in pace inermes barbariſſimè occidit; aſt tamen impoſterum; ſuperſtites iccircò eſſe animos, non ea quidem ratione, qua Philoſophi autumabant, quum eos, univerſalis veluti ſpiritus particulas, animæ mundi, ſuoque exiſtimarent uniri principio, in quo æternum immutabiliter conquieſcerent, unumque cum eo individuum, atque incommutabile permanerent; aut juxtà aliquorum captum, qui ex immortalitate animorum, meliorem modo incolatum, conditionemque ſequutam iri ſperabant, veluti feriari modo homines debuiſſent, inque amœnis verſari campis; iiſdemque apud Orcum teneri conſuetudinibus ac ſtudiis, quibus in vita; ſed ita ſuperſtites fore animos, ut demum experiantur, quanti fuerit naturæ legibus non obtemperaſſe.

VII. Et ſanè fateor quod bonum, & rectum, & honeſtum ſuapte natura eſt, id quoque propter ſe eſt utique optandum, ſed reipſa abſque ſpe metuque optatur ſolum ab iis, in quibus non amplius adfectus poſſunt cum mente ac ratione pugnare. Pauci

enim ii ſunt, qui a Philoſophia moveantur, & quorum inde facta cum doctrina cohæreant. Ii profectò, qui nullam ſpem immortalis habent vitæ ac retributionis, dum de conſilii capiendi deliberatione agitur, jure dubitare videntur; quum ſcilicet pugnare videatur cum honeſto, id quod eſſe dulce ac utile videtur; quum enim voluptas ac utilitas ad ſe rapere, honeſtas è diverſo ad ſe revocare videatur, fit inde, ut diſtrahatur in deliberando animus, afferatque curam ancipitem cogitandi. Nam etſi virtus bonum ſit omnium utique hac in vita maximum, ſi beata tamen eſſe demum non poſſit, viſque & natura ejus in malorum modò perferentia ſita eſſe debeat, amittere profectò videtur rationem boni ab hominibus expetendi. Homines enim tametſi juſtitia aliquando ac fortitudine præditi, conſtantes adeò tamen eſſe non poſſunt, ut extremam ſuſtinere valeant infelicitatem. Itaque quum nimiis ſint adverſitatibus impares, cedereque cogatur interdum generoſus etiam ſpiritus neceſſitati, ac fortunæ viribus ſuccumbere, id amare demum diù non poſſunt, quod ſibi cauſſa veluti dolorum ac mali eſt. Si enim ſecum cogitent, virtutem eam, in

qua

qua verſantur, eſſe ſibi infortuniorum originem & fontem, felicioraque & omninò ſecunda iis evenire, qui nullum habent cum virtute commercium; jam quotidie eos deterius de virtute ſentire, nativamque augeri animi impotentiam neceſſum eſt. Quod ſi mentem hominis altera è diverſo ſubeat cogitatio, qua virtutem utique hoc tempore, quo adacti corpori ſumus, haud multum delectationis habere utilitatiſque cognoſcat, futurum tamen, ut brevia hæc mortalia damna diuturnioribus gaudiis penſet, fortis jam verò & omninò conſtans evadit animus, ut vel ipſas ærumnoſas virtutis vices valeat ſuſtinere. Scit ille quidem aliquam partam iri animo ex ultione ac voluptatibus tranquillitatem, plurimum etiam apud inſanum vulgus honoris ac dignitatis. Aſt quum in ſpem erigitur, futurum ut animi pro humanitate atque clementia, moderatione ac æquitate, coronas & præmia donaturus ſit tandem omnium Retributor Deus, horret mens in cogitatione vitiorum, arduamque licet virtutem videtur poſſe unicè deperire. Cuicumque enim perſuaſum probè eſt, fore ut longiſſimo tempore per virtutem modo poſſit eſſe beatus: vitia è diverſo tandem aliquando

do adlatura ſibi exitium & pœnas, in ea jam erit animi tranquillitate atque conſtantia, quæ ad virtutem ſuſtinendam neceſſariæ ſunt. Ille immo qui virtutem hac in conditione, ſive ſuapte natura, ſive ex humanis rerum vicibus, nihil fructus aut gaudii adferre poſſe arbitratur, ens tamen ſupremum eſſe ſi credat, quod providentiam habeat erga genus humanum, faveatque juſtis adverſus iniquos, adhuc de virtute perget rectè ſentire, quam Deo non exiſtente contemneret. Ille quippe, qui uberiora adeò expectat virtutis præmia, vix cetera hujus vitæ gaudia, apta ad illam arbitratur incitamenta. Sunt denique, & quidem non pauci, vitam qui pro virtute de facili darent, apertè pronunciantes, non alia ſe ratione, & juxtà virtutem vivere, & inordinatos animi impetus triumphare, niſi quod grande illud venturum ſit præmium pacis atque immortalitatis. Adeò nihil fatale magis evenire virtuti poſſet, quam nullam ſecum ferre felicitatem. Qui virtutem propter ſe amandam cum veteribus docent, etiamſi nullus eſſet Retributor Deus, ſibi fortaſſe contradicere videntur. Qua enim ratione amari illa poteſt, niſi quod ejus in actibus aliquam

ſuapte

ſuapte natura experiamur tranquillitatem cum honeſtate conjunctam, inque illius proſequutione ratio vigeret ordinis ac harmoniæ cum lege mentis atque conſcientia? Aſt quid concipi & amari veluti ordinatum poteſt in univerſo, nullum ſi concipiatur primum, intelligentiſſimumque ordinis exemplar atque principium, omnia imò inordinatè & caſu contigiſſe credantur? Nulla profectò mœſtior cogitatio, quam ſi in ea conditione verſemur, in qua maximè timendum ſit, ſperandum nihil, nihil ſit quod adfectiones animi ſatiare valeat, ſpem ſcilicet, ac deſiderium felicitatis, nihil quod animi anguſtias demum leniat, nihil quod habere inhiet animus, gravi hoc corporis pondere diſſolutus; ſed ea ſolum ſe ſe objiciant, quæ aſperum facere poſſint hominem atque turbatum, quæ denique non innatum modo erga virtutem ſtudium minuant, ſed ipſa etiam eradicare valeant virtutum principia, adfectiones ſcilicet naturales clementiam & humanitatem. Ille verò, cui certiſſimè perſuaſum eſt, Deum factorem omnium ac gubernatorem eſſe, quem non bonitate modo infinita præditum exiſtimat, verum & totius boni perennem fontem eſſe fatetur, unaque

cre-

credit, altera demum in vita, præmia futura aliqua atque ſupplicia, illa quidem conjuncta autumet neceſſum eſt virtuti ſuapte natura tali, hæc è diverſo vitiis ſuapte natura deformibus, non verò extrinſecis è qualitatibus, aut contingentibus aliquibus è circumſtantiis, erga quas neque ſperata gaudia præmium dici poſſent, neque mala quæ formidantur, pœnæ, ſed arbitrari potius eventus è cauſſa aut non intelligente, aut malè intelligente profecti. Arbitrantur quidem aliqui, Philoſophos ſtatuentes Deum poſſe impoſſibilia facere, momentoſum inveniſſe ad exiſtentiam Dei evincendam argumentum; ea enim ratione extrà Deum naturas rerum haud inveniri poſſe ſuapte natura tales; rerum namque eſſentias, tales ſuapte natura, & præter Dei arbitrium eſſe, Naturaliſtarum cauſſæ minus obſtare. Verum qualis obſecro propoſitionum eſſet illarum ſenſus, quibus Deum amare dicimus quod bonum, quod juſtum, quod æquum & verum eſt, quod cum ſumma honeſtate eſt ac ſanctitate conjunctum, ſi hæc omnia ab arbitrario penderent decreto, nullamque habere poſſent in ſe neceſſariam incommutabilemque naturam? Oſtenſis igitur, ſive ab

na-

natura, ſive ab traditione ſpecialibus etiam bonis ac malis, inclinatoque animo ut ſperet virtutum præmia, fugiatque debita ſupplicia peccatis, ſpes illa metuſque in acta hominum rectè influere pergent; ſervabitur enim virtus & integritas illibata, vel in duriori evenire quæ poterit conditione, etiamſi vel per errorem virtutis officia quis autumaret hujuſce vitæ felicitati ſemper adverſa: quod tamen abſolutè iniquum eſt, neque cum idea entis convenit perfectiſſimi, quod virtutem hac etiam in conditione felicitatis originem ac fontem, vitiaque malorum omnium naturales cauſas eſſe conſtituit. Quid enim inordinatum magis in Univerſo, quam felices beatoſque homines eſſe per vitia, miſeros per virtutem, ac infelices? Demum etſi vinculum admitti nullum deberet virtutem inter & illud præmii genus, quod ad delicias corporis ſpectat; vera tamen virtus poteſt, immò illud reſpicere præmium debet, quod mentem perficit, animumque locare poteſt in perfecto ſtatu virtutis?

VIII. Neceſſarium hoc ad virtutem incitamentum non animadvertit Pufendorfius, (*a*) dum jus ſtatuit naturale nullum futura

A a cum

(*a*) *Præf. ad Lib. de Offic. Hom. & Civ.*

cum vita habere commercium, notatus iccirò a Barbeyraco (*), qui ratione naturali dignoſci poſſe contendit, probabile eſſe naturalis legis oſores, qui Dei iram hoc in ſeculo ſubterfugere viſi ſunt, ſeveriſſimas daturos illi pœnas poſtquam erit animus a corpore ſeparatus; opinionemque contrariam minori probabilitate gaudere. Et non malè quidem differit Barbeyracus, melius tamen Pufendorfium arguiſſet, ſi traditionem veram ſua voluiſſet cum ratione conjungere, illiuſque ope certiſſimum eſſe dixiſſet, quod naturali lumine probabile modo eſſe contendit; non enim probabilitati, ſed certitudini innixa illa debet eſſe ſententia, è qua ſocietatis officia pendent ac leges, ſpes oriri debet præmiorum, metuſque ſupplicii. Probabilitatem utique illam vidit & Socrates, qui tamen quod traditionis expers certitudine caruiſſet, ita fluctuat, & inchoata imperfectaque ſenſa mentis obſcurè adeò, adeò confusè atque ambiguè promit, ut perlecta ejus ſententia, fidem facere non voluiſſe videatur, unde nihilo magis certi ſumus quid indubiè credamus. Moriturus itaque ſuſpecta effecit, quæ diffidenter adeò proferebat, pro-

(*) *In Adnot.*

probabilem, non certam, habens ſpem futuræ retributionis. Socratis ſententiam mutuatus, cautior tamen, timidiorque retulit Plato in Phædone, optimo ſcilicet Dialogorum, dum Socratis de opinionibus hiſtoricè veluti dixit, ſive de ſermonibus, quos habuit ad diſcipulos. Ea verò in re, quid ſenſerit Ariſtoteles nullis terminis Melchiorri Cano placet circumſcribere (*a*). Facere illi injuriam, immeritaſque inurere maculas, eos qui ſtatuunt docuiſſe Peripateticorum Principem animam eſſe corruptibilem ajunt Niphus, Oregius, atque Virdungus. Verum de hoc viderint illi, ait Kippingius (*). Certè Vives, Portius, Contarenus, Combachius, Valla, Micraelius, Taurellus multis evincere ſatagunt argumentis, haud poſſe Ariſtotelem eo ab errore defendi, quem animæ pro corruptibilitate in teſtimonium advocare voluit magnus Peripati Doctor Averhoes, & Interpres exactiſſimus Pomponatius dictis ejus ſcepticiſſimum ſuperſtruxit de animæ immortalitate. Aliquid de mente ab corpore ſejuncta & libera excogitavit etiam Tullius, ſed dogmaticè minus,

(*a*) *Lib. IX. Loc. Theol. Cap. 9.*
(*) *In antiq. Rom.*

ac omninò dubitanter. Mirabatur nempe apud illum Cotta, cur ut beatus immortaliſque ſit Deus, Vellei juxtà ſententiam, eſſe debuerit bipes, neque ſatius in Solem, aut Mundum, aut in aliquam mentem æternam figura membriſque corporis vacuam cadere potuerit beatitudo (*). Verum ubicumque Philoſophum agit Tullius argumenta refutat argumentis, exempla exemplis, ut re in dubitationem revocata, cuicumque liberum ſit de ea arbitrari quidquid veriſimile videatur. Ita de immortalitate etiam animarum pro dogmatica ſententia Academicam protulit. Marcus ille, qui cum Attico de contemnenda morte diſſerit, ennumeratis Philoſophorum animi de natura ſententiis, harum, ſubdit (*a*), quæ vera ſit Deus aliquis viderit. Atticus quidem delectari ſe fatetur in ea, quæ ſpem affert, docetque poſſe animos, quum a corporibus exceſſerint, in cœlum, quaſi in domicilium ſuum pervenire: quod etiamſi ita futurum non ſit, ſibi tamen perſuaderi vellet; quam ob rem evoluiſſe ait diligenter, & quidem ſæpius, Platonis librum, qui eſt de animo: ſed neſcio, ſub-

(*) *Lib. 1. de Nat. Deor.*
(*a*) *Quæſt. 1. Tuſc. Lib. I.*

ſubdit, quo modo dum lego, aſſentior: cum depoſui librum, & mecum ipſe de immortalitate animorum cœpi cogitare, aſſenſio omnis illa elabitur. Platonem inducit Orationem proferentem, qua uſum facit apud Judices Socratem jam morte multatum, & apud Tyrannos præſtantiſſimum Theramenem. Voluiſſe autem in ea legimus Platonem id modo, quod Attico Marcus perſuadere conatur, noſtri ſcilicet ſive nihil poſt mortem remaneat, ſive ſit animus etiam poſt fata ſuperſtes, mori tamen numquam malum eſſe dicendum. Ea prorſus ratione, qua etſi aliquando ſe ait Cicero iis minus poſſe aſſentiri, qui cum corporibus ſimul animos interire docebant, atque omnia morte deleri: plus apud ſe antiquorum authoritatem valere, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt, quod non feciſſent profectò, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur (*a*); ſeque ſi in hoc erraſſet, quod hominum animas immortales eſſe crediſſet, lubenter tamen errare, nec ſibi errorem illum, quo delectabatur, velle, dum viveret, extorqueri: (*) ibidem tamen, O miſerum, ſubdit, Senem,

(*a*) *Lib. de Amic.*
(*) *Lib. de Senect.*

nem, qui mortem contemnendam eſſe in tam longa ætate non viderit, quæ aut planè negligenda eſt, ſi omninò exſtinguit animum: aut etiam optanda, ſi aliquo eum deducit, ubi ſit futurus æternus. Verum quum in incertis benè, beatèque vivendi rationem nemo valeat reperire, quumque probabili in re felicitatis aut ſpem, aut naturam ponere, eſſe cognoviſſet inane, tranquillitatem omnem, ac beatam ſapientis vitam in pietate aliquando poſuit, in conjuncta juſtitia, ceteriſque virtutibus, ex quibus inquit (*a*), vita beata exiſtit, par & ſimilis Deorum, nulla re, niſi immortalitate, quæ nihil ad benè vivendum pertinet, Diis inferior, atque diverſa. Scilicet de animorum immortalitate nullam ille noverat certam veramque traditionem, ſed ſolum Pythagoream. Immò puduiſſet tunc temporis hominem ſapientiam profeſſum de immortalitate animæ non dubitare. Romanus ille, qui de M. Plautii conjugali amore memorat, cui, cum imperio Senatus claſſem Sociorum in Aſiam reduceret, Tarentumque appulliſſet, Uxor ejus Oreſtilla illic occurriſſet, morboque preſſa deceſſiſſet; funerata

(*a*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

nerata ea, & in rogum impoſita, inter officium ungendi & oſculandi ſtricto ferro maritus incubuit, quem amici, ſicut erat togatum, & calceatum corpori conjugis junxerunt, ac deinde ſubjectis facibus, utrumque una cremaverunt: Nec dubito, ait (*a*), quin ſi quis modo exſtinctis ſenſus ineſt, Plautius, & Oreſtilla, fati conſortione, geſtientes vultus tenebris intulerint! ſanèque ubi idem & maximus & honeſtiſſimus amor eſt, aliquando præſtat morte jungi, quam vita diſtrahi.

IX. Hujuſcemodi itaque immortalitas animorum ab certa traditione magis, quam ab naturæ animi cognitione pendeat neceſſum eſt. Veteres Academici, qui ceteros adverſus Philoſophos animorum eſſentiam neque è communis materiæ partibus, neque earum è diſpoſitione ac nexu oſtendebant eſſe conflatam, immaterialem illam æternamque eſſe dicebant; ea tamen ratione, ut hominum animos cum Dei & Mundi anima perpetuò confunderent, ſicque immortalem eſſe, ſuoque uniri principio exiſtimarent, quod unicus fuiſſet intelligentibus omnibus igneus ille vigor immanens, & cæleſtis

(*a*) *Val. Max. Lib. IV.*

ſtis origo. Hoc eruta è fonte Platonis illa de immaterialitate, & æternitate animi demonſtratio erat in Phædro. Quod, inquit, ſemper movetur æternum eſt; quod autem motum adfert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi habeat neceſſe eſt. Solum igitur, quod ſeipſum movet, quia numquam deſeritur a ſe, numquam ne moveri quidem deſinit; quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi. Principii autem nulla eſt origo, nam è principio oriuntur omnia: ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt; nec enim eſſet principium, quod gigneretur aliunde. Quod ſi numquam oritur, ne occidit quidem umquam; nam principium exſtinctum nec ipſum ab alio renaſcetur, nec a ſe aliud creabit, ſiquidem neceſſe eſt a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum a ſe movetur. Id autem nec naſci poteſt, nec mori: vel concidat omne cælum, omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim ullam nanciſcatur, qua primò impulſa moveatur. Cum pateat igitur æternum id eſſe, quod ſeipſum moveat, quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? inani-

mum

mum eſt enim omne, quod pulſu agitatur externo. Quod autem animatum eſt, id motu cietur interiore & ſuo; nam hæc eſt propria natura animi atque vis; quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſeipſam ſemper moveat, neque nata certè eſt, & æterna eſt. Hæc autem dum pluribus verbis commentatur Tullius, ſe etiam exiſtimare oſtendit, communem eſſe eumdem animum homini & Deo (*). Anima, inquit, ſit animus, ignisve, neſcio: nec me pudet fateri neſcire quod neſciam. Illud ſi ulla alia de re obſcura affirmare poſſem, ſive anima, ſive ignis ſit animus, eum jurarem eſſe divinum. Prorſus hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficit & tantas; quid eſt enim memoria rerum & verborum? quid porrò inventio? profectò, id, quo nec in Deo quidquam majus intelligi poteſt; non enim ambroſia Deos, aut nectare, aut juventute pocula miniſtrante lætari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganimedem a Diis raptum ait propter formam, ut Jovi bibere miniſtraret; non juſta cauſa, cur Laomedonti (veriùs dixiſſet Troi) tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos

B b tranſ-

(*) *Lib. I. Tuſc. Quæſt.*

transferebat. Divina mallem ad nos. Quæ autem divina? vigere, ſapere, invenire, meminiſſe. Ergo animus, qui, ut ego dico divinus eſt, ut Euripides audet dicere, Deus: & quidem ſi Deus aut anima, aut ignis eſt, idem eſt animus hominis. Nam ut illa cæleſtis natura & terra vacat, & humore: ſic utriuſque harum rerum humanus animus eſt expers. Sin autem eſt quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta: primum hæc & Deorum eſt, & animorum. Hæc ille, meliores eſto exinde adferat demonſtrationes.

X. Et recentiorum quidem aliqui ſanum trahere ad ſenſum conati ſunt Platonicam illam de animi natura ſententiam, immaterialem ſcilicet eam eſſe debere, ex eo quod principium ſit motus; ii maximè, qui vel ipſi potentiſſimo Numini vim denegant tribuendi materiæ ſe movendi poteſtatem. Qua etiam è doctrina orta videtur eorum altera, qui vitæ ideam in eo ſitam eſſe definiunt, quod eſt moveri abs ſe, & in ſe; vitam iccircò immaterialem in intellectionis motu conſiſtere. Verum quum natura motus ejuſque proprietates nulla videantur poſſe ratione definiri; quæcumque immò illis de rebus

ferri

ferri ſoleat ſententia negari a Philoſophis poſſit; eſſe icircò motus principium, immaterialitatis animæ argumentum certiſſimum non eſt. Nihil enim vident aliqui immaterialitatis in motu, nullumque concipiunt nexum, cogitationem inter, quæ propria animæ actio eſt, & originem motus habere; ea maximè ratione, quod nihil hujuſcemodi vinculo adferri poſſet evidentius ad adſtruendam Brutorum animæ immaterialitatem.

XI. Immateriales aliqui hominum animos eſſe dixere, quod nihil contineatur in idea animæ, eorum, quæ concipiuntur in idea corporis. Aſt, ecquid hæc, obſecro, animæ idea, quæ nonniſi materialium inſtar rerum concipi, dum adacti corpori ſumus, poteſt? Vitiatæ itaque methodi, & corpulentiæ reos nullo dixit jure quadam in Epiſtola Vicus (*a*) Carteſium ac Malebranchium; alterum, quod ſex illis metaphyſicis meditationibus immaterialium eſſentiam rerum è comparationibus extrà mentem ſumtis explicare contenderit; alterum, quod mentis vires atque adfectiones definiri haud poſſe docuerit, niſi è comparationibus relatè ad corpora acceptis; veluti è diverſo proprium

(*a*) *Ad Thom. de Rubeis.*

mentis eſſet, ubi rei, qua de agitur, naturam inquirit, ſimilitudines abs re, ſuoque è penu deſumere; nullo inquam jure iſta videtur oponere; Theſaurus enim ille idearum, quas humana mens immaterialibus de rebus poſſidere dicitur, primum eſſet demonſtrandus. Erraſſe enim verò dicimus eos etiam, qui animæ immaterialitatem, ut demonſtrarent, eo uſi ſunt argumento, quod ſcilicet perpetua adſit oppoſitio judicia inter intellectus & judicia ſenſuum; duas quippe inter hominum mentes, adverſa inter ſe non ſemel adparent judicia, neque tamen ex quo altera immaterialis ſit, alteram fas erit in materiæ cenſum iri redactam. Alii ad immaterialitatem illam evincendam effata efferunt, octuaginta plus minus obnoxia exceptionibus; conficiundæ iccircò demonſtrationi minus idonea. Illi namque tantum benemerentur de veritate, qui delectum habent argumentorum.

XII. Neque tamen evidentiſſima deſunt momenta, quibus animæ ſimplex & incomplexa demonſtretur eſſentia. Conceptu enim poſſibile haud eſt, materiam eſſe cogitantem, quod ex intrinſecis ejus evincimus; diviſibilis nempe ſuapte natura eſt, unaque ejus

pars

pars extrà aliam perpetuò exiſtat neceſſum eſt, neque umquam cum altera penetretur: Intellectio è diverſo legibus fieri videtur oppoſitis, penetratione ſcilicet, comprehenſione, reique cognitæ continentia in mente, ut ajunt, atque incluſione; intellectus namque intelligendo fit omnia. Cogitatu immò poſſibile haud eſt, materialem rem eſſe poſſe cogitantem, quod aut quæcumque materiæ pars cogitans eſſet, aut fortaſſe nulla. Illud arbitror negatum erit, tot namque eſſentiæ eſſent in homine cogitantes, quot partes cogitantis materiæ; numerus itaque entium cogitantium quacumque in anima infinitus. Aſt ſi non quæcumque materiæ pars, aliqua verò tantum cogitans eſt, quanam inde ratione materia, quæ ex partibus conſtat non cogitantibus, eſſe poteſt cogitans? Difficile captu hoc adeò eſt, ac ſi concipere velit quis, materiam ex inextenſis conſtantem, eſſe exſtenſam; quumque materia exſtenſa eſſe nequeat, niſi ex partibus conſtet exſtenſis; indiviſibile namque additum indiviſibili diviſibile haud facere valet atque exſtenſum, ea prorſus lege, qua finitum additum finito non facit infinitum: pars itaque non cogitans parti addita non cogitanti,

ti, cogitantem eſſentiam haud conſtituere valeret, eoque pacto hominis anima nulla ratione eſſet cogitans, quod ſi quis adfirmaverit, Soli eum meridiano & rationi obloqui, tunicatis arbitror adnotum. Et duorum quidem ex permixtione colorum, unitiſque corporum partibus, qualitatis alicujus expertis, alterum exurgere colorem diſſimilem omnino, efficique corpus nova præditum qualitate, ipſa cum Philoſophia docent experimenta. Sic duobus è fluidis fieri aliquando ſolidum, è frigidis ebullientia oriri videmus. Verum quid colores omnes & corporum qualitates, niſi eædem eorundem corporum partes diverſimodè modificatæ, diverſoque actæ ordine, figura, ac diſpoſitione; entitates ſcilicet ab materiæ partibus nullo modo diſtinctæ? Intellectiva virtus è diverſo, & ratio concipiendi, quum res ſit, eorum etiam ſententia qui materialem eſſe animam ſentiunt, ab una alteraque atomo diſtincta, diverſam quoque ab iiſdem unitis, interque ſe ordinatè permixtis, neceſſum eſt adferat entitatem, unde latum adhuc ſtet pro immaterialitate animæ argumentum. Simplicem etiam eſſe hominis mentem certiſſimum ex eo eſt, quod plura ſimul

per-

percipiat, ſentiatque, judicet etiam pluribus ſimul de objectis, varias corporis partes una adficientibus; manifeſtum utique diverſitatis ejus corporeis è partibus indicium. Nam & calefacta manu, & aliquali voluptate perfuſa, eodem ſi tempore gratus ſe ſe præbeat odor, diverſam experimur a priori voluptatem: Inquirenti verò quænam eas inter voluptates ſuavior? Hanc reponimus, aut illam. Comparationem itaque utraſque inter eodem inire tempore poſſumus, deque illis judicium ferre. Quod ſi calefacta manu, odoreque percepto, dulcis aliqua vox noſtris inſonare auribus pergat, aut ſe fructus præbeat deguſtandus, poſſumus adhuc haſce inter ſenſationes unam dicere altera perfectiorem. Quod itaque in nobis eſt principium tot eodem tempore ſenſationes expertum, non manus eſt, aut auris, aut oculus atque palatus, ſed aliquid, quod omninò partibus careat; illud quippe ſi divideretur in partes, earum altera colorem, odorem altera adtingeret, unde nihil in homine foret, quod utrumque ſimul eodem perciperet tempore, ac inter ſe compararet, quodque judicium una de utroque ferre valeret. Hocce itaque quotidie quum experiamur, conſe-

ſequatur oportet, ſenſationum omnium principium rem prorſus eſſe ſimplicem atque incompoſitam, indiviſibilem icircò atque immaterialem; neque enim concipi nullo negotio poteſt, quamcumque animæ partem iiſdem gaudere ſenſationibus, quibus reliquæ moventur omnes; tunc enim duo quocumque, aut plura in homine eſſent principia, quæ ſentirent, vellent, eligerent, ac judicarent, haud majori ſanè utilitate, quam ſi unum principium ſit, ea omnia ab quo provenirent; eorum quippe alterum foret ſupervacaneum, quod in naturæ effectibus invenire non eſt. Certum verò, omnes juxtà Philoſophorum ſententias, entitatem duabus una ſenſationibus adfectam, duoque ſimul proferentem judicia ac deſideria, abſque partibus eſſe. Quod ſi partibus careat anima, immortalis itaque ſuapte natura eſt, cum quod omnis corruptio per ſejunctionem fiat partium, tum etiam quod naturæ vi evenire non poſſit deſtructio, ſive annihilatio rei; tum denique, quod ſapientiſſimi Numinis providentiæ conſentaneum minimè videatur, entia condidiſſe vita atque cognitione, deſiderioque & ſpe perennitatis prædita, quæ tamen citiſſimè, & miſerè in nihilum redigantur.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Hæc autem omnia tametſi pæne omnibus demonſtrata probè videntur, primæva tamen indigent traditione, ut evidentia apud aliquos ſint, utque obſtantia adverſus momenta mens ea valeat propugnare. Sunt enim qui Metaphyſicum, ut ajunt, neceſſariumque haud inveniant nexum illam inter immaterialitatem animæ atque perennitatem; poſſe iccircò ajunt rem etiam incorpoream brevi permanere, citoque deficere; ea ſcilicet ratione, qua materiale arbitrantur ens æternum poſſe aliquando durare. Aliam immaterialem illam puramque eſſentiam craſſa hac in materiæ latebra odiosè queruntur, inordinateque cogi atque detrudi. Incomprehenſibilem alii dicunt ſpiritum inter & corpus unionem. Lucretianis alii moventur argumentis. Nonnulli demum quum hominis animam haud eſſe materialem demonſtrari modo poſſit ex eo, quod intelligat, ac ratiocinetur: Bruta verò non vivere modo, & ſe movere, ſed & intelligere, & ratiocinari videantur, itaque aut immateriali ipſa etiam gaudere animo, aut hominem etiam corporeis modo partibus conſtitutum, ſentire poſſe, intelligere, ac ratiocinari conſequi arbitrantur. Maximum

utique, & vix enodabile argumentum, quod ex iis eſto videatur, quæ nec pluteum cædunt, nec demerſos ſapiunt ungues, animum tamen in diverſa rapere poteſt, ac oculos ſoleret Creta ille Labyrinthus in alta, qui ancipitem ferebatur

Mille viis babuiſſe dolum, quo ſigna ſequentum
Falleret indeprebenſus & irremeabilis error.

Et eo quidem ab objecto aliqui ut animos avertere poſſent, Bruta non intelligere modo, ſed vivere etiam ac ſentire inficiati ſunt, Stoicos, Cynicoſque ea fuiſſe in ſententia arbitrati; quod utique falſum; unum enim alterumque vitam denegaſſe animantibus invenimus, Gomenſium ſcilicet Pereiram, atque Carteſium, quod iſte caſu potius quam conſilio facere viſus eſt; quum enim ſuo in ſyſtemate conficiendo, nihil de palmari hoc excogitaſſet argumento, maluit inde potius hoc inſolutum relinquere, quam a concepta ſententia dimoveri. Carteſium aliqui ſequuti ſunt, ne in verba conarentur erumpere metuentia Ædilem: hoc enim eos ſeriò cogitare quis dicat? quum illi, qui Carteſio dedere nomen, aut adeò facilè communi
ſen-

ſenſui, mentiſque evidentiſſimis notionibus ſoliti fuerint valedicere. Quod tamen mirum magis eſt, iidem, re quaſi pro feria adlaborantes, momentoſa conati ſunt invenire argumenta, uti quum animalia ex eo doloris expertia demonſtravit Poiſſonus, quod juſto ſub Deo, quiquam, niſi demereatur, miſer eſſe non poſſit: Auguſtini adverſus Pelagium argumentum. Jure itaque Carteſianos in hiſtrionia (quam Charlataneriam vocat) Eruditorum irridet Menckenius, cujus in adnotationibus memorat Interpres Hallenſis de ſatyrico cujuſdam mulieris ingenio familiarem ſuum, Carteſianæ Philoſophiæ addictum lepidiſſimè exagitantis. Illa percepiſſe ſe ſcribit eundem Carteſii aſſeclam factum eſſe, ſicque nullum apud ſe dubium reliquum eſſe, quin ipſe quoque animalia bruta pro meris machinis artificioſis habiturus ſit, quæ ſenſione ac perceptione deſtitutæ, velut alia automata, per internam partium ſtructuram, moveant ſe, ac moveantur. Verum ne hujus adſerti experimentum deſit, rogare ſe, ut binas ejuſmodi affabrè factas machinas canem ſcilicet marem ac femellam aliquod per tempus committere velit, brevi numerum ſuum duplicaturas, atque ter-

tiam, quartamque, & quintam ſibimetipſis ſimillimas machinas producturam. Ex quo (pergit illa) colligat, ſimplices, ne machinæ credenda ſint Bruta, aut pro meris automatibus habenda? Ego quidem lubens concedam fœminæ argutiſſimæ, multum hac in re animalibus brutis cum hominibus convenire. Enim verò opinionem illam Carteſianorum recta ducere ad ſcepticiſmum relatè ad hominis animam vidit primum Pardies, latius tamen Daniel, exactiſſimè tandem objecit Boullerius, ſuo in ſpecimine Philoſophico ſuper eſſentia Brutorum; non enim ea in hypotheſi deceptos modo nos oſtendit ab Authore naturæ; verum & leges omnes moralis certitudinis falſitate penitus laborantes. Nam tametſi nonnullæ Brutorum actiones mechanicis legibus tribui poſſent; infinitæ tamen ſunt, qui nulla perfectiſſima etiam ab organica vi queunt vel per immaginem oriri. Profectò non vitam modo, ſed cognitionem etiam eſſe in animantibus, iis dignoſcimus ex adfectionibus, quæ propriæ ſunt animi, odio ſcilicet, amore, zelotypia, docilitate, fidelitate, prudentia, veluti dolore ac gemitu.

Qua-

Qualis populea mœrens Philomela ſub umbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet.

Rideo ego minutos illos Philoſophos, qui quum animalia aliquo gaudere ratiocinio nonnullos adfirmantes audiverint, inſolito ſtatim ſtupore rapiuntur, ac ſi diceretur, ea naturæ leges ſuperare, humanam ſumere vocem, & linguam ſimilem hominibus, uti in fabuloſis traditur hiſtoriis, ceteriſque veterum libris. Bruta enim non inter ſe modo colloqui, verum & ab quibuſdam, uti Apollonio Tymeo, Melampo, Tireſia, Thalete fuiſſe intellecta ſcribit Porphyrius. (*a*) Sic Xanthum Achillis Ævum vocalem & loquentem inducit Homerus. Agnus loquutus Bochoride, ſeu Bochone Saite in Ægypto regnante, uti ex Manethone, Euſebio, & Svida. (*) Phryxi arietem loquutum teſtantur Apollonius, (*b*) & Tzetſes. (*) Quod maximè Cos. terrebat Domitium, Bovem, lo-

(*a*) *Lib. III. de Abſt. Anim.*
(*) *In voce* ἀρνίον.
(*b*) *Lib. I. Argon.*
(*) *In Lycophr.*

Digitized by Google

loquutum: Roma tibi cave. Idem factum Priverni, & in agro Campano. Bovem loquutum, ait Plutarchus; (*a*) & rurſus Julius Obſequens, Scipione Naſica, & Gn. Martio Coſs. Fruſinone Bos loquutus. Servio autem Flacco, & Q. Calpurnio Coſs. Bos loquutus & nutritus publicè. C. Mario, & Flacco Coſs. Bubo extra Urbem viſus, Bos loquutus. C. denique Claudio, & M. Perpena Coſs. Bos loquuta. (*) Virgilius verò ubi de prodigiis in morte Cæſaris.

pecudeſque loquutæ
Infandum!

Heinc Plinius, (*b*) frequens, ait, in prodigiis priſcorum bovem loquutum, quo nuntiato, Senatum ſub dio haberi ſolitum. Scriptum reliquit & Theophanes, (*) è terra in Meſopotamia adſcendiſſe mulinum animal, humana loquens voce, prænuntianſque Gentis ab Eremo adverſus Arabes inruptionem, quæ & facta demum ſit. Ait Polus in Criticorum Synopſi, non omnia hæc

(*a*) *In Marcello.*
(*) *Livius. Lib. III.*
(*b*) *Lib. VIII. Cap. 4.*
(*) *Ad an. DCCXLIX.*

hæc commentitia eſſe dicenda, quod apud optimæ notæ hiſtoricos frequens adeò occurrant. Alii cum oraculorum reſponſis, cum fluminibus Nectaris, cum via lactea, redituque ad compares ſtellas beſtiarum hujuſmodi adloquutiones exiſtimant comparandas. Ego de incerta re minus audeo definire; aſt ridere inquam ſoleo eos, qui Bruta intimo gaudere negant ratiocinio, quod extrinſeco hoc careant atque vocali. Agi nempe ſpe aliqua & metu, cavere ab inſidiis, rationem habere temporis, loci, ac perſonarum, videtur certè non poſſe abſque ratiocinio aliquo ac mente præſtari. Homines ex eorum grege, qui Lulliſtarum more, memoriæ traditis aliquibus, & quidem paucis, peripateticæ ſcholæ ſententiis, maximos eſſe ſe Philoſophos arbitrantur, Stadeliano iccirco digniſſimi aceto; haud eſſe ajunt in animantibus ratiocinium etiam imperfectum, aut ſimilitudinem ratiocinii, quod ea ſint determinata ad unum, diverſa verò reſpicere humanam mentem atque intellectum, qui infinitatem veluti habeat, aut intelligendo abſque fine progrediatur. Enim verò haud video quanam ratione hiſce reſponſis adverſus eos, qui aliquomodo ratiocinari ani-
ma-

malia intrinſecè dicunt, aliquem valeant referre triumphum, quum animalium quotidie videamus non ad unum determinari appetitus atque paſſiones, ſed pro locorum, temporum, & rerum veluti diverſitate, diverſa etiam appetere objecta; ſimulareque aliquando magis, quam femina, quæ inviſos ſimulare pergat, aut conceptos diſſimulare ignes; eadem difficilibus aliquando eſſe moribus, aſperaque natura; jocularia aliquando, & ad hilaritatem veluti facta; heinc modis mille ludere, donec illius ludi diuturnitate faſtidio capi veluti incipiant, atque alia cogitare: verbera patienter tolerare non ſemel, niſi modum excedas, patiendique demum conſtantiam ex animo cogas elabi; quod utique immane & inhumanum eſt; videtur enim neceſſitudo aliqua nobis eſſe cum illis, quod in terra nobiſcum vivant, eodem fruantur aëre, iiſdem plantis nobiſcum veſcantur, pleraque eodem tecto nobiſcum degant, uti canes, feles, ſubinde & equi; nobis etiam inſerviant, quod ea ſi jugulemus, vocem edant, qua ciere poſſint miſericordiam ſui. Sic & eorum in oculis animus profectò inhabitare videtur; ardent, intenduntur, humectant, connivent; heinc
illæ

illæ veluti miſericordiæ lachrymæ; hos quum exoſculamur, animum ipſum, ut in nobis, videmur adtingere. Quis Leænæ curam ſatis explicare valeat catulos media in venatione defendentis? Quis equum moræ, & carceris impatientem? Quis Cervorum cum Serpentibus pugnam? quanto denique uti videantur ratiocinio in venatu animantia omnino omnia, ſive perſequentem fugiant, ſive perſequantur fugientem? Delphinos venereos eſſe, & amaſios non modo hiſtoriæ veteres, ſed recentis quoque memoriæ declarant. Nam & ſub Cæſaribus in Puteolano mari, ut Appion ſcriptum reliquit, & aliquot ſeculis ante, apud Naupactum, ut Theophraſtus tradidit, amatores flagrantiſſimi Delphinorum quidam cogniti compertique ſunt. Neque ii amaverunt, quod ſunt ipſi genus, ſed pueros forma liberali, in naviculis fortè, aut in vadis littorum conſpectos, miris & humanis modis arſerunt. Verba exſcribit Gellius (*a*) Appionis, eruditi Viri ex Ægyptiacorum libro quinto, quibus Delphini amantis, & pueri non abhorrentis conſuetudines, luſus, geſtationes, ac aurigationes refert: eaque omnia ſe ſe ipſum,

(*a*) *Lib. VII. Cap.* 8.

multoſque alios vidiſſe dicit : Et quidem vidimus nos, ajebat Appiòn, apud Puteolos Delphinum amantem mirè puerum inclamatum a puero acciri. Quin etiam adnatans dorſo puerum admittebat, ita ut pinnæ aculeos, velut vagina conderet, ne dilectum ſibi corpus laceraret, receptumque equitis modo inſidentem, magnum per æquor, ducentaque per ſtadia deferret. Roma igitur, omniſque Italia confluebat, ut piſcem amoris cauſſa vectorem pueri ſpectaret. Et Appion quidem, ait alio loco Gellius, (*) qui polyhiſtor appellatus eſt, literis homo multis præditus, rerumque Græcarum plurima atque varia ſcientia fuit, cujus non incelebres olim libri, mirifica omnia, quæ viſa auditaque ſunt comprehenderunt, in iis tamen, quæ audiſſe, vel legiſſe ſe ſe dicit, fortaſſe a vitio ſtudioque oſtentationis ſit loquacior, venditatorque in prædicandis doctrinis & hiſtoriis ſuis. Verum quod in libro Ægyptiacorum quinto, de mutua inter ſe ſe ex vetere notitia Hominis & Leonis recognitione ſcripſit, neque audiſſe, neque legiſſe, ſed ipſum ſe ſe in urbe Roma oculis vidiſſe ſuis confirmat. In Circo itaque ma-

(*) *Lib. V. Cap.* 14.

maximo, venationis, inquit, ampliſſimæ pugna populo dabatur; ejuſque rei Romæ quum fortè eſſem ſpectator adſui. Multæ ibi ſævientes feræ magnitudine beſtiarum excellentes, omniumque inuſitata aut forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia, Leonum, inquit, immanitas admirationi fuit, præterque omnes ceteros unus. Is unus Leo corporis impetu & vaſtitudine, terrificoque fremitu & ſonoro, toris, comiſque cervicum fluctuantibus, animos oculoſque omnium in ſe ſe converterat. Introductus erat inter complures ceteros ad pugnam beſtiarum Dacus, ſervus viri Conſularis. Ei ſervo Androdus nomen fuit. Hunc ille Leo ubi vidit procul, repente, inquit, quaſi admirans ſtetit, ac deinde ſenſim atque placidè, tanquam noſcitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blandè movet, hominiſque ſe ſe corpori adjungit, cruraque ejus & manus prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amiſſum animum recuperat, paullatimque oculos ad contuendum Leonem refert. Tum quaſi mu-

Digitized by Google

tua recognitione facta, lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & Leonem. Ea re prorſus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit: arceſſitumque a Cæſare Androdum, quæſitam cauſſam, cur ille atrociſſimus Leonum uni peperciſſet: Androdus rem mirificam narrat, atque admirandam. Quum Provinciam, inquit, Africam pro Conſulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus, & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus: & ut mihi a domino terræ illius Præſide tutiores latebræ forent, in camporum, & arenarum ſolitudines conceſſi: ac ſi defuiſſet cibus, conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum Sole, inquit, medio rapido, & flagranti, ſpecum quamdam nactus remotam latebroſamque, in eam me penetro & recondo: neque multo poſt ad eandem ſpecum venit hic leo debili uno & cruento pede gemitus edens, & murmura, dolorem, cruciatumque vulneris commiſerantia. Atque illic primo quidem conſpectu advenientis Leonis territum ſibi & pavefactum animum dixit: ſed poſtquam introgreſſus, inquit, Leo (uti reipſa apparuit) in habitaculum illud ſuum, videt me procul deliteſcentem, mi-

mitis & manſuetus acceſſit, ſublatumque pedem oſtendere mihi & porrigere, quaſi opis petendæ gratia viſus eſt. Ibi ego ſtirpem ingentem veſtigio pedis ejus hærentem revulſi, conceptamque ſaniem vulnere intimo expreſſi, accuratiuſque ſine magna jam formidine ſiccavi penitus atque deterſi cruorem. Ille tunc mea opera atque medela levatus, pede in manibus meis repoſito recubuit, & requievit: atque ex eo die triennium totum ego & Leo in eadem ſpecu, eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat: quæ ego, ignis copiam non habens, Sole meridiano torrens, edebam. Sed ubi me vitæ illius ferinæ jam pertæſum eſt, Leone in venatum profecto, reliqui ſpecum: & viam fermè tridui permenſus, a militibus viſus apprehenſuſque ſum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me ſtatim rei capitalis damnandum, dandumque ad beſtias curavit. Intelligo autem nunc quoque Leonem me tunc ſeparato captum, gratiam nunc mihi beneficii & medicinæ referre. Hæc Appion dixiſſe Androdum tradit: eaque omnia ſcriptam circumlatamque tabellam populo de-

claraſſe. Atque ideo cunctis petentibus dimiſſum Androdum, & pœna ſolutum, Leonemque ei ſuffragiis populi donatum; viſumque inde Androdum & Leonem loro tenui revinctum, urbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus ſpargi Leonem, omneſque ferè ubique obvios dicere: Hic eſt Leo hoſpes hominis, hic eſt homo medicus Leonis. Sed non ſingularia hæc ad cognitionem aſtruendam Brutorum adferre in medium neceſſe eſt, quum quotidianæ potius uſitatæque eorum actiones ſentire animalia, ſeque aliquo cum fine movere apertiſſimè oſtendant. Quis enim inter canes eſt, qui tuus ſi ſit, non ſit etiam fidelis tibi, qui Dominum non colat ac tueatur?

Hunc Tu ſi ferias, dolet, gemitque,
Sed parcit tibi protinus revertens.
Hunc Tu ſi expuleris redit benignus,
Et caudam movet ille blandiendo.
Hic te, ſi mare naviges, ſequetur,
Hic, tu ſi mare pernates, natabit.

Non

Non te per medios relinquet æſtus,
Non te deſeret horridos per imbres,
Non te deſeret aſperas per alpes,
Non te deſeret ille vel per hoſtes;
Te nam diligit ille diligentem.
Non te deſerit ille vel diebus,
Non te deſerit ille vel tenebris.
Si venaberis, ille per labores
Conatur tibi complacere ſemper.
Pro te non rabidos recuſat Urſos,
Et dentes patitur furentis Apri,
Cervos, Capreolos, vafraſque Vulpes,
Et ſternit genus omnium ferarum;
Si ſolvis, jacet ille ſic ſolutus:
Et juſſus jacet ille ſub catenis,
Non audens querulas movere voces.
Hic cuſtos pecorum, tuæque villæ

Fu-

Digitized by Google

Fures exigit, arduos Lupoſque,
Nec non arcibus ille præſidentes
Tutos inſidiis facit latratus:
Non te pocula delicata poſcit:
Non obſonia ſobrius requirit,
Contentus latices bibiſſe lymphas,
Nec non relliquiis, tuiſque fruſtis,
Qui tantos ſibi ſuſtinet labores.

Heinc tot ex utilitatibus ortum aliqui arbitrantur quorundam hominum ſua erga animalia amorem, quum tamen amoris non utilitas, ſed ipſe ſolus cauſſa eſſe poſſit amor; Brutorum ille ſcilicet, quo nos amari videmus. Senſit hoc primum arcanæ Vir Philoſophiæ Eques Magalottus, uti Epiſtola ejus indicat inter eruditas undecima ad magnum tunc etiam temporis Virum, Cardinalem poſtea Quirinum; quis enim amare diù eum poteſt, ab quo non mutuus tandem oriatur amor, ab quo ſe amari, niſi ſimulatè, non poſſe cognoſcat?

Aut

Digitized by Google

Aut amet: aut faciat cur ego ſemper amem.

Ut itaque minus, pallentia proficere poſſunt philtra, ad eliciendum inconceptum ex animis ignem, & ut ameris, amabilis non modo ut ſis neceſſum ille dixit, ſed etiam ut ames; ita Brutorum actiones, oſtenſæque illæ erga nos adfectuum imagines, nos certè eorum in amplexus numquam rapere poſſent, ſi fictæ ac ſimulatæ eſſent, ſi amantem in illis animum natura non deprehenderet, aut non ſperaret amaturum. Non poteſt autem ſe communis fallere naturæ ſenſus, qui cum ratione idem; quid enim hæc aliud, niſi perſpicax eluciduſque mentis ſenſus, ea contemplativo modo demonſtrare potens, quæ per inditam occultamque naturæ vim ſentiunt univerſi? Quæ veró organicè ac artificiosè planè perfecta ſunt, ut perfectiſſima etiam aliquando ſint, admirationem quidem curamque noſtram, ſtudium omne obtinere poſſunt, amorem certè non poſſunt; quantumque gloriæ augent, tantum etiam amoris imminuunt. Ille autem Brutorum erga homines amor, qui ex amore hominum erga Bruta probatur, ex aliquali cognitione pendeat

deat neceſſum omninò eſt; ignoti enim nulla cupido, ſicut & odium, & inordinatæ etiam ipſorum actiones, quæ voluntatis veluti vitium oſtendunt. Adverſus itaque animæ immaterialitatem facere videtur argumentum ex adfectionibus animalium ſenſitivis, ſive è ſenſitiva, quam præſeferunt, cognitione petitum. Videntur enim aliquando perfectè ratiocinari, ſeque cum fine ordinatèque movere. Quod ſi Brutorum, inquiunt, anima immaterialis non ſit, materialis utique hominum etiam anima eſſe videtur, præſtantioribus quamvis prædita organis, ſubtiliorique materie.

XIV. Veteres illi, quorum in ſententia divinus ſpiritus intus alebat, totamque inſuſus per orbis molem viventia quæcumque agitabat, animalia omnia quatuor ex elementis divinoque ſpiritu conflata eſſe dicebant, è terra veluti carnem, humorem ab aqua traherent, anhelitum ab aëre, ab igne fervorem, divino a ſpiritu ingenium. Heinc nulla, juxta eoſdem, pænè diverſitas hominis inter & Brutorum intelligendi principium. Ea itaque non ſentire modo, ſed & intelligere, & velle, & ratiocinari docuere,

re,

re, & politica eſſe, & ſpeciem veluti quandam civilis habere ſocietatis; cui quidem ſententiæ recentiorum aliqui accedere viſi, Valla, Cittadinus, Parquerius, Montagne, Charronus, Chambræus, Salmaſius, Lockius: animalia immò ratione uti melius homine duobus libris Hieronymus Rorarius oſtendit. Enim verò veteribus illis facilè ſatis, animas Brutorum ratione prædítas dicere, quum eorum juxtà principia, haud certè conſequeretur, fuiſſe eas etiam immortales; quum nec immortalis ſuapte natura habitus fuerit homo, qui perfectiorem juxtà materiæ complexionem dicebatur modo ab animantibus ceteris eſſe diverſus. Urget itaque argumentum eos adverſus, qui animam hominis eſſe immaterialem, adeoque immortalem adſerunt; neque alia quidem de cauſſa, niſi quod ratiocinetur, atque cognoſcat; materiam autem arbitrantur nonniſi figuræ, ac motus eſſe capacem; Quum enim ſimilitudo operationum ſimilitudinem arguat principiorum, æqualeſque effectus ab æqualibus cauſſis æquè proveniant (magis enim & minus, uti effatum ait, variare non poſſunt ſpeciem) ecquid erit demum cujus ope hominem adſeramus animum in ſe habere imma-

materialem, ſecus animantia reliqua?

XV. Hunc utique aliqui ut ſolvant compactum adeò nodum, quum inane diſcrimen ſit a Veteribus olim adlatum, Bruta ſcilicet mentem habere agentem, non item patientem, quæ ſit quaſi mentis interpres; aliquam potius immaterialem veluti naturam animantibus tribuere volunt, quam materialem poſſe ſubſtantiam cognitionis vel minimæ, aut etiam ſenſationis dicere originem; è quo tamen conſequi inficiantur Brutorum animas fore ſuapte natura immortales, quum eas Deus ad finem haud ordinaverit immortalem, icċirco tametſi corporeæ haud eſſent, adnexam tamen durationem habere finitam: Si enim, inquiunt, corporeo in univerſo tot ac pænè infinitæ, aliquorum juxtà ſententiam, ſpecies admittuntur ac formæ, quarum quæcumque ab ceteris ſuapte natura diverſa eſt, diverſarumque proprietatum radix ac fundamentum; ecquid, inquam, prohibere valeat plures pluresque eſſe immateriales eſſentias, quarum nonnullæ breviſſimam ſortitæ ſint durationem, nonnullæ verò infinitam? Enim verò doctrina hujuſmodi, quæ in finium diſcrimine inniti traditioni videtur, in eo tamen cum recta ratione

tione ac Philoſophia coire non poteſt, quod immateriales eſſentias velit eſſe poſſe mortales. Cur enim ſapientiſſimus rerum omnium Conditor ac Gubernator Deus, quolibet temporis momento infinitas pænè creare velit eſſentias, quæ ſtatim iterum deſtrui repugnante natura debeant, inque nihilum redigi? Duraturas verò poſt ſeparationem a corpore Brutorum animas, illi ſolùm poterunt edocere, qui eaſdem deambulatorias eſſe per corpora exiſtimaverint, quo abſurdius nihil invenire eſt. Quum enim certus eſſe non poſſit corporum quocumque dato tempore numerus, generativa actione libero ab arbitrio pendente, conſequens inde foret, aliquando ſine corporibus animas, corpora aliquando ſine animabus exiſtere, quod ordini repugnat rerum, & conſtitutioni naturæ. Heinc quod ſimiles incidat in ambages, admitti nulla ratione poteſt, quam excogitavit noviſſimus Author, (§) aut potius exornavit, ſententiam, retulitque olim libertate Poëtica Arioſtus, Brutorum animas ſcilicet perduelles Angelos eſſe, in corpora ejuſmodi imperio Dei detruſos: quamvis hacce ille hypotheſi, eo facilius viſus ſit verita-

(§) *Beaujean*.

Digitized by Google

ritati acceſſiſſe, quo Traditionis aliquid in eadem adfulget. Cur enim carceri dicatur, ſententia Judicis, mancipatus ille ſpiritus, quem pro arbitrio poſſum veteri libertate donare, quemque quocumque temporis inſtanti incertus veluti caſus poteſt reſtituere in integrum? Sibi verò quiſnam perſuadere de facili poſſit, Angelica innocenti in conditione perſeverante natura, futurum fuiſſe ſine Brutis Univerſum, eaque ſolùm de cauſſa tot fuiſſe conditas ſpecies, tot corporum mirabiles formas, pulcherrimas tot, ac inter ſe diverſiſſimas entitates? Alii intelligere Bruta dixere per irradiationem quandam ab primo omnium intelligente Deo, totiuſque cognitionis principio ac fonte profectam: quæ tamen ſententia quum ab Authoribus ſuis adhuc non ſit explicata, dici nondum poteſt an conciliari cum fide valeat atque ratione. Poſt Cudceortum non pauci naturas illas, quas plaſticas vocant, ad operationes animalium ſenſitivas, ſeu potius illarum originem oſtendendam, atque principium aptiſſimas credidere. Quorum ſententiam aliqui ex eo confirmant, quod diviſio illa ſpecierum, aut potius eſſentiarum in immateriales alias, alias corporeas omninò

ac

ac materiales, juxta breves omnino exiguaſque nimium humanæ mentis ideas conflata modo, ordinataque videatur, unde recta conſequi ratione non poſſit, Deum haud alias potuiſſe ſpecies condere atque naturas, quam illius conditionis ac generis, cujus ideam habemus atque notitiam. Verum plaſticæ illæ, ut ajunt, naturæ in ea omnia impingunt utique objecta, quæ Peripatetici recentiores non adhuc enodare ac ſolvere potuerunt, quum ſcilicet adſeruere, animam habere materialem Bruta, quam ſenſitivam vocant, veluti materiali ab eſſentia aut forma operationes eorum ſenſitivæ procedere poſſent, unde evertere viderentur unum è præcipuis momentis, quod adverſus Atheos optima ferre ſoleat Philoſophia. Dicuntur quidem ab aliquibus naturæ plaſticæ immateriales, omni tamen cognitione carentes, præſtanteſque actus, quos ſenſationis dicimus, ipſæ ignorantes, an eos reapſe præſtent, & quomodo præſtent. Enim verò illud fieri ſanè non poſſe videtur; quo enim pacto, quave ratione concipere valeant intellectus, cauſſam efficientem agere in aliquid poſſe, ipſam verò ignorare, ſe non agere modo, ſed hac illave ratione, hoc aut

in illo agere ſubjecto? Natura quippe efficientis, ut ajunt, cauſſæ cognitionem objecti neceſſariò habet in ſe, ſubjectique erga quod operari poteſt ac debet, ſcientiamque mediorum, quibus agendum eſt; Hæc ſcilicet cognitio in aliquo ſubjecto reperiatur oportet; nihili enim nulla proprietas eſt; ſenſibilis autem rei proprietas ſenſatio ipſa, ſive cognitio eſt; ſenſationes enim ab objectis cauſſatæ, quid aliud ſunt, niſi modificationes ſubjecti, in quo ſenſationes, cognitioneſque contingunt? Neceſſe quidem haud eſt ſubjectum ſe cognoſcere omninò atque perfectè; impoſſibile tamen omnino eſt, exiſtentiam ab eo, proprietatemque cognoſci objectorum, niſi exiſtere ſe, ſuarumque aliquam proprietatum intimè ſentiat, atque percipiat. Hartzoekerus, (*a*) qui pro plaſtica veluti natura ſubſtantiam induxit fluidam, animamque veluti univerſalem, animalium vi ſpirituum, cogitandi atque ratiocinandi capacem, cujus partes eſſent hominum mentes, Brutorum formæ atque plantarum; ceterique, qui ſyſtematibus aliis animatarum operationum fontem explicare, ac pandere conati ſunt, conjectationibus ſe modo indulgere,

(*a*) *Diſſert. Phyſic.*

Digitized by Google

gere, inque arctum deſilire fateantur demum neceſſe eſt. Illi itaque ut occurramus objecto, cetera ut omittamus momentoſa profectò, & quæ Philoſophorum mentes torquere & angere ſolent, uti harmoniæ illud inter cogiationes mentis & corporis motus, cujus ratione invectæ tot adeò ſententiæ, cauſſarum ſcilicet occaſionalium; rerum omnium in Deo cognitarum; præſtabilitæque Leibnitii harmoniæ, cujus in hypotheſi ait in Theologia naturali Wolfius, evidentius demonſtrari animam non eſſe ens a ſe, etſi ab eadem minimè pendeat; poſita quippe harmonia præſtabilita, hominis anima per eſſentiam ac naturam ſuam non potuit, niſi huic determinato corpori uniri, quum in ſyſtemate influxus Phyſici & cauſſarum occaſionalium, indifferens ſit ad unionem cum quolibet modo organizata materia. Quamobrem quum corpus humanum pars hujus ſit adſpectabilis mundi, utpote ad eundem eodem modo pertinens, quo cetera corpora ad ipſum ſpectant; animæ hæ contingentes ſunt, quum mundus contingenter exiſtat, utpotè non exiſtituræ, niſi exiſteret mundus. Verum harmonia hujuſmodi Leibnitii præſtabilita nimiis obnoxia eſt, iiſque maxi-

mis difficultatibus, ut opinio communis evadere poſſit ac certa. Illi inquam ut occurramus de Brutorum anima objecto, non ab ratione aut Philoſophia, ſed altius, ab traditione ſcilicet primæva ac vera repetendum eſt robur omne ac fundamentum. Non enim ad nos efficiendum a Brutis omninò diverſos, quo paſſionibus ſapienter utamur, & juxtà naturalis leges ſocietatis, claram oportet habeamus diſtinctamque eorum animæ ideam, quum neque humanæ præſto aliqua ſit; verum ſatis eſt per traditionem dignoſcamus, & immaterialem noſtram eſſe, & ad altiorem longeque diverſum finem eſſe nos ordinatos. In illis ſiquidem nulla religio eſt, nulla ſpes immortalitatis; ſummum è diverſo hominis bonum in ſola religione eſt; cetera verò, inquit Lactantius, (*a*) quæ putantur eſſe homini propria, in ceteris quoque animalibus reperiuntur. Cum enim ſuas voces propriis inter ſe notis diſcernunt, atque dignoſcunt, colloqui videntur, ridendique ratio apparet in his aliqua, cum demulſis auribus, contractoque rictu, & oculis in laſciviam reſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſque conjugibus, & ſœ-

(*a*) *Divin. Inſt. Lib. III. Cap.* 10.

fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo, & indulgentiæ ſimile impartiunt? Jam illa, quæ ſibi proſpiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque ſigna in mutis reprehenduntur: nam quando utilia ſibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula ſibi parant, in plures exitus diſparentia: profectò aliquid intelligunt. Poteſt aliquis negare in illis ineſſe rationem, cum hominem ipſum ſæpè deludant? Nam quibus generandi mellis officium eſt, cum aſſignatas incolunt ſedes; caſtra muniunt; domicilia inenarrabili arte componunt; Regi ſuo ſerviunt; neſcio an in his perfecta prudentia. Incertum eſt igitur, utrum ne illa, quæ homini tribuuntur, communia ſint cum illis viventibus, religionis certè ſunt expertia. Equidem ſic arbitror, univerſis animalibus eſſe datam rationem, ſed mutis tantummodo ad vitam tuendam, homini autem ad propagandam, ſcilicet per immortalitatem. Summum igitur bonum, quod beatum facit, non poteſt eſſe, niſi in ea religione atque doctrina, cui ſpes immortalitais adjuncta eſt. Veteres aliqui, ſubdit Lactantius, (*) licet ve-

(*) *Lib. VII. Cap.* 8.

verum de animæ immortalitate ſentirent, tamen de illa, tamquam de ſummo bono non diſcernere. Nos igitur certioribus ſignis elicere poſſumus veritatem; quia eam non ancipiti ſuſpicione collegimus, ſed certiſſima traditione cognovimus.

XVI. Eadem itaque primæva veriſſimaque traditio, quæ Deum docet ante omnia ſemper fuiſſe, ſimpliciſſimam unitatem, atque immutabilem, mentem omnia ſcientem, voluntatem omnia potentem, ens undequaque perfectiſſimum & univerſaliſſimum, principium cauſſamque liberam rerum creabilium, qui quum ſit ante dies omnes & res, earum quoque rector eſt ac moderator, eadem inquam, hominum genus non murium inſtar atque ranarum putri è materia procreatum oſtendit; neque limo calefacto uteros neſcio quos radicibus terræ increviſſe, & infantibus ex ſe editis ingenuum lactis humorem natura miniſtrante tribuiſſe, hoſque ita educatos & adultos hominum genus procreaſſe; neque è reliquo Cadaverum humanorum ſeminio ab Sole animato, homines immenſas poſt temporum inundationes natos, ſed eoſdem ab præpotenti Conditoris manu ad imaginem & ſimilitudinem

ſuam

ſuam factos, animam iccircò ſortitos eſſe immaterialem atque immortalem, quam non impuro corpori & vitiis obnoxio primo in hominum Adamo, ſed innocenti univit atque perfecto; Denmque unicum eſſe omnium finem, quem ſola homines poterunt virtute conſequi ac honeſtate. Enim verò ſummi aliquando Philoſophi in officiis naturæ ſtatuendis plurimum errare viſi ſunt, quod huncce ignoraverint finem, qui ſupra naturæ vires quum ſit, potuit iccircò ſola traditione cognoſci. Balbus ille diſputator apud Tullium, (*a*) excitatos primum ex humo a Deo dicebat homines, erectoſque & celſos conſtitutos, ut Deorum cognitionem cælum intuentes capere poſſent. Sunt enim, inquiebat, ex terra homines, non ut incolæ atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque cæleſtium: quarum ſpectaculum ad nullum aliud animantium genus pertineret; heinc Poëtæ illa:

Pronaque cum ſpectent animalia cetera terram
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Sed

(*a*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

Sed ut a poſtremo hocce ordiatur oratio, falſum illud eſt: Magellanicus namque Anſer, Urias, Mergus major, Mantis, animantia etiam alia figuram habent ſyderibus conſpiciundis humana aptiorem; (*) divinæque illa naturæ cognitio, quæ in cæleſtibus haberetur ſpectandis, contemplativa modo eſſet, non practica, nec ad humanæ felicitatem duceret ſocietatis. Et ego quidem arbitror eos, qui moralem rationem ab rerum Phyſicarum efformatione ac origine ſeparant, animam veluti ſecernere a corpore, nec umquam fore ut rectè philoſophentur. Enimverò qui omninò ab traditione recedit, aut falſos indignoſque adferat humanæ naturæ fines neceſſum eſt, aut fines quoſcumque ab Philoſophia eliminet atque proſcribat; uti Spinoſa non modo, ſed & Carteſius facere viſus eſt; ille quod Deum nullum, ab materia diſcretum admitteret, moralemque Philoſophiam prorſus vellet a Religione disjunctam: iſte quod rerum fines cæleſtia inter arcana referret, moralemque Philoſophiam eſſe crederet a Religione ſumendam. Non itaque Theologiam modo, verum etiam Philoſophiam profeſſi hominis eſt, ad traditio-

(*) *Brovun. in Error. vulg. Exam.*

tionis facem confugere, ea probè ut dignoſcantur, quæ poſita in natura ſunt; ſi enim Phyſica & Mathematica experimenta in deliciis eſſe non ſemel ſolent, ut ex illis eruantur ea, quæ rem ad Metaphyſicam confirmandam atque vindicandam pertinent, cur inde ſpernenda divinarum rerum ſapientia, quæ Scientiis ceteris antiquitate, nobilitate, certitudine præſtat? Cujus exemplum rei eſt celeberrimus Malebranchius, inter Philoſophos de facili princeps, qui opere in ingenioſo de veritatis indagine, non ſemel, immò frequentiſſimè Fidei utitur decretis ad oſtendendas humanæ mentis vires, quarum cognitio non adeò impervia eſt, ac divinæ voluntatis, & finium conditarum rerum, relationiſque earum ad Deum. Eo vèrò ex fine complexio omnium pendent, quæ in ſyſtemate docentur traditionis. Heinc Philoſophorum præſtantiſſimi, tametſi eorum aliqua, quæ in traditionis ſyſtemate incluſa ſunt, probè adtingere ac videre potuerint, omnia tamen, aut integrum vitæ ſyſtema non valuerunt; nam & maxima ingenia magnis pænè ſemper excidunt auſis, generoſioreſque animi dum vitant humum, ſæpè nubes & inania captant, neque ullus res ma-

gnas conſequi alia ratione poteſt, qui non ejuſmodi etiam audeat & ſuſcipiat, in quibus errare neceſſum eſt. Superioris quippe virtutis eſt ac planè divinæ limare & depaſcere luxuriem agnatam melioribus ingeniis; quæ quidem ex authoritatis ratione neceſſaria adhuc fuiſſet, etiamſi probè noſcere humana mens ſyſtema integrum potuiſſet; omnibus enim veris falſa quædam adjuncta eſſe ſolent tanta ſimilitudine, ut in iis nulla eſſe videatur certa prorſus ac infallibilis judicandi aſſentiendique nota, ex quo exiſtit, ut ea vix probabilia credantur. Tullius quum de legibus diſputaret, ex eorum utique numero non erat, qui de eo etiam quod Socrates ſibi adſerendum reliquerat, dubitarent; videbat enim fuiſſe dogmaticè diſſerendum, ubi de firmanda Republica, ſtabiliendis viribus, ſanandis populis ageretur; & tamen quod rationi, ac Philoſophiæ modò niteretur, iiſque quæ uſum haberent quendam inſignem ac illuſtrem ad regendam vitam ſapientis, certum omninò eſt, eum numquam probabilitate potiori adhæſiſſe certitudini. Occurritur autem, inquiebat (*a*) nobis, & quidem a doctis & eruditis, quæren-

(*a*) *Lib. II. de Off.*

rentibus, ſatis ne conſtanter facere videamur, qui quum percipi nihil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſcere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officii proſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia; non enim ſumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat umquam quid ſequatur. Quæ enim ita eſſet mens, vel quæ vita potius non ſolum diſputandi; ſed etiam vivendi ratione ſublata? Nos autem, ut ceteri, qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, contra alia improbabilia eſſe dicimus. Quid eſt ergo quid me impediat, ea quæ mihi probabilia videntur ſequi; quæ contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitare, fugere temeritatem, quæ a ſapientia diſſidet plurimum? Etruſcus: (*) Nobis autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat; id noſtro jure liceat defendere. Apud Tullium itaque hominis officiorum ratio probabilitati modo erat innixa; neque exiſtimare viſus eſt, naturæ leges, ac ſocietatis firmas eſſe immutabiles atque conſtantes. Jam verò tametſi Phyſicis de rebus,

(*) *Lib. III.*

Digitized by Google

ceteriſque de ſcientiis quum ſermo eſt, prudens eſſe conſilium nos etiam arbitremur alia probabilia dicere, alia verò improbabilia, ſecus tamen ubi de jure agitur, de juſtitia, de virtutibus ac principiis operandi. Sunt certè hodie etiam, qui rerum materialium naturam imperveſtigabilem velint; quum enim Boylius libro de ipſa natura, ſive de libera in receptam naturæ notionem diſquiſitione, poſtquam Philoſophorum omnium oppugnaverit naturæ de notione ſententias, apertiſſimè oſtenderit, haud aliud eſſe naturam, quam generaliſſimas communicationum motuum leges conſequi apertè videtur, intuta nimium atque impervia via humanam mentem ad difficilem adeò incompertamque naturæ penetrationem accedere. Haſce enim qui leges definiverit? Carteſianæ utique ingenioſè adeò inventæ præſtantioribus Philoſophis diſplicuere; in naturæ quippe ſinu ille tantum illabitur, qui eam efformavit ac condidit; noſter enim non modo oculus, verum & intellectus, circa id quod extrinſecum, ſive adparens modo eſt, verſari tantum poteſt. Heinc indoctiores ſumus, quod cauſſas plurimum inquiramus eorum, quæ neque fortaſſe ſunt, neque eſſe po-

potuerunt, quam quod cauſſas reapſe ignoremus eorum, quæ exiſtunt. Aſt non ita ut in Phyſicis, nutare in Moralibus quoque debemus, è quibus non ornari modò, & illuſtrari mens debet, ſed rectè dirigi ac perfici. Potuere itaque veteres ſumma abſque jactura, nulloque negotio de rerum inter ſe principiis diſſentire, eaque modo judicare probabilia: potuerunt inficiari eſſe in rerum natura motum, aut rem eſſe in ſe ipſa, qualis nobis adparet; qua quidem in re venia utique donandi, quum nondum inveniri potuerit adæquata motus definitio: potuerunt de continui diviſibilitate digladiari, de gravitatis demum cauſſa, de lucis ac colorum eſſentia, de monſtris, ceteriſque, in quibus periculoſum eſt credere & non credere. Illis enim de rebus non Academicos modo & Pyrrhoniſtas, majorem ſcilicet veterum Philoſophorum claſſem, verum & nobiliores dogmaticorum ad dubitationem aliquando fuiſſe propenſos latè Bælius demonſtrare perrexit. (*a*) Itaque quum illis in ſententiis adhuc ſit pondus & pondus, haud mirum profectò, ſi recentiores etiam intra cancellos probabilitatis conſiſtant; ea enim

(*a*) *Epiſt. V.*

enim principia, quæ ad aliquam oſtendendam theſim aliquando ducere videntur, oppoſita pro ſententia non ſemel adducuntur in medium, uti quum Peripateticos, qui lucem in qualitatum ordinem redactam iri cenſebant, Lycei principiorum videri immemores ajebat Leo Hebræus in Dialogis de amore; lux namque ſi in diaphano, qualitas veluti in ſubjecto reciperetur, qualitatis adfectionibus prædita eſſet; in univerſum ſcilicet ſucceſſione quadam ſe ſe diffunderet ſubjectum; quod luci minimè convenit, quæ totum mox diaphanum penetrare conſpicitur: dein qualitatis adventus naturalem ſubjecti diſpoſitionem immutare videtur: luce verò adveniente nullam prorſus diaphanum ſuſcipit mutationem; Ut etiam in ſubjectum qualitas extendatur ſpatium requirit determinatum: lux autem in diaphanum nullo ſolet prorſus ejus limite, aut termino circumſcripta diffundi. Ablata verò cauſſa qualitatem aliquam efficiente atque introducente, qualitatem adhuc illam ſibi impreſſam ſubjectum dici retinere, & conſervare videmus, cujus quidem rei fervens aqua jam ab igne ſecluſa certiſſimam fidem nobis efficere poteſt: contra illuminante remoto dia-

diaphanum univerſam cernes amittere lucem. Qualitas quoque proprio ſimul cum ſubjecto movetur: lux verò quatenus diaphanum illuminare concipitur, propter aëris, aut aquæ, ubi reſidet, mutationem, ne minimum quidem movetur. Plures demum ejuſdem ſpeciei qualitates idem ſubjectum adficientes confunduntur, ſimulque permiſcentur, & in unum componuntur: at plura lumina conjungi in unum minimè poſſunt; nobis enim ad duas pluresve lucernas deambulantibus, expatiantibuſque, duæ, pluresve è regione mox ſurgunt umbræ; immò ſi tres, pluresve lucernas eidem anguſto foramini ex variis diverſiſque lateribus admoveris, per foramen illud tres oppoſitas luces interiores domus ingredi partes videbis. Plura tamen hujuſcemodi ex argumentis lucem neque corpus eſſe convincunt, iccircò

Illiacos intra muros peccatur & extra.

Hacque de cauſſa Leo idem Hebræus lucem definivit nec qualitatem, nec corporalem adfectionem eſſe, ſed actum quendam ſpiritualem diaphanum præſente illuminante perficientem, eoque recedente evaneſcentem.

Alii

Alii lucem ſpiritus, ſive immaterialis rei naturam habere arbitrati ſunt: (*) alii ſpiritum eſſe igneum nec prorſus corporeum, nec incorporeum prorſus, extenſum localiter & quantum, ſed indiviſibilem, diffuſione inſtantanea, motu activo & penetrativo præditum, proindeque ab corpore diſcretum: (*a*) quæ omnia ideas corporis ac ſpiritus feſtivè miſcent atque confundunt, vagoſque in conceptus, ac indiſtinctos denuò nos immergunt. Placuere elapſo ſæculo quæ de natura lucis Gaſcendiſtæ docuerunt ac Carteſiani; meliora certè hoc noſtro Philoſophi præſtantiſſimi protulere Nevtonus, atque Caſtellus; omnia modò tamen probabilia, apud aliquos fortaſſe omni expertia non veritate dicam, ſed etiam probabilitate. Pauci itaque naturalibus in rebus ſummam denique certitudinem adſequutos ſe glorientur; illi ſcilicet, qui uti graphicè ait Agnanus, (*b*) Logicen exponendam ſuſcipiunt; ſed quam? Bone Deus! Si circa abſtractiſſima, immò ac ter incerta, quæ ſeveriorem dedecerent Metaphyſicen, qua voce, quo geſtu,

(*) *Jo. Spagnet. Enchyr. Phyſi. reſtitut.*
(*a*) *Du Cloſ. Differt. de Nat. Mixtor.*
(*b*) *Prodrom. ad Phil. pag. 15.*

geſtu, qua mente verſantur. Interim de regendis mentis functionibus alii feriò cogitabunt. Ad Phyſicas contemplationes patheticè invitant; ſed quid promunt Phyſicum, quid naturale, quid quod voluptatem procreet ullam? Ariſtotelem magiſtrum contra Novatores in Scientiis ſequi ſe ſe gloriantur, vix tamen ſemel iterumque audies quicquam, quod undique fuerit Ariſtotelium: niſi fortè vitiatas, ſin certè nudas illius auctoritates, quæ numquam aut opponentem frangant, aut volentem faciant Philoſophum. Illuſtrem quidem Diſſertationibus ſuis paſſim præficiunt titulum, ſed ſpe fucata diſcipulos deludunt ſuos, ſibique non minus ac aliis imponunt. Ille præſtantiſſimus ferè habetur, qui acumine valet potius quàm judicio, & quæſitas temporis peſſundationes novè exſerit, ſeriò deſcribit, & bellè exagerat. Sed verbo dicam, ſubdit, quod prolixa inſequuntur oratione, qui Peripatum aut amant, aut ea de cauſſa oderunt. Vaniſſimæ ſubtilitates: infrugifera parerga, immò nec rari paralogiſmi utramque implent talium Scholaſticorum paginam. Verum non voluntatis hæc vitia ſunt, aut fortaſſe temporis, ſed paucorum potius hominum atque neceſ-

ſitatis; quin tamen naturales aggreſſi res melioribus auſpiciis, eas poſſint certiſſimè penetrare. Et accedunt quidem recentiores Philoſophi res ad Phyſicas pluſquam a primo limine ſalutatis Geometriæ, Statices, Hydroſtatices, Ærometriæ, Opticeſque principiis: quæſtiones inſtituunt adferentes ſecum leporem, venuſtatem, hilaritatem, gratias: decerpunt etiam Philoſophorum è libris, quæ magis ipſis adrident ſententias, ſelectos veluti è campo flores, eamque jure dicunt philoſophandi libertatem: ſpuriam non amplius adgnoſcunt, ſed veram artis cogitandi ſpeciem, nec ex commentario ſcire pergunt, aut quod ſupereſt temporis ineptis, ut olim, rixis impendunt: Graves quique Authores in Scholas invecti ſunt:

pejoraque ſecula ferri
Temporibus, quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & a nullo poſuit natura metallo

eruperunt evaſeruntque: inque ſpem erecti ſumus bonarum artium corruptioni, neque orientem Solem umquam, neque occidentem interventurum; & tamen adhuc incerti de rerum naturalium eſſentia, conſtanter vix, firmiterque aliquid poſſumus definire. Pruden-

denter itaque in Phyſicis probabiliora aliqua exiſtimanda ſunt, aliqua etiam improbabiliora, ne ſi temerè cui adſentiamur, Nubem pro Junone, quod Ixioni olim contigiſſe fertur, videamur amplexi. Etſi fortaſſe rebus etiam in naturalibus certitudinem adſequi mens potuiſſet humana, ſi in illis inquirendis dignoſcendiſque primævæ illi Traditioni fuiſſet innixa. Ut enim latiſſimè oſtendit Vir noſtra ætate Clariſſimus Pluſcius (*a*) Moſis Phyſica deque naturalibus rebus & opificio mundi dictata, non vulgarem quidem, ut imprudenter adeò creditum ab ignaris profaniſque eſt, ſed arcanam & ſublimem continent Philoſophiam, veræ conſonam rationi & experimentis. Sunt immò qui noſtris etiam in regionibus ſapientiſſimè doceant, ſolam illam divino ab Numine profectam Traditionem deducere in cognitionem poſſe veri ſyſtematis: antiquiſſimum omnium, Ægyptiacum ſcilicet ſyſtema, ipſiſſimum eſſe, quod veram mundi præſeferat formam: eandemque prӕterpropter fuiſſe divinitus inditam Adamo; ab quo ſubinde Patriarchis tradita, per eorundem quodammodo manus in Ægyptum devenerit, ejus

(*a*) *Hiſtor. Celeſt. Tom. II. Lib. III.*

regionis incolis communicata, quantum quidem è Veterum Hiſtoria conjicere fas eſt: Non obſcura ſupereſſe veſtigia, quibus ſideralem ſcientiam non modo ab Patriarchis credamus excultam, ſed immò mirificè apud eoſdem floruiſſe; eoſque non ſtellarum modò curſus ac volutiones, ſed ſingularum inſuper proprietates, indito ſingulis nomine, adjectiſque præſagiis, citra tamen ſuperſtitionis notam, calluiſſe. Quum verò ſcientia Aſtronomica abſque notitia ſyſtematis ſtare non poſſit, ſi ejuſdem aliquam primæ ætatis homines habuerunt, hanc ſanè primo Parenti acceptam retuliſſe, Ægyptoque, qua cum gente neceſſitudo maxima interceſſit, communicaſſe: Adamum autem nonniſi a Deo traditam, fortaſſe etiam inditam inſculptamque animo habuiſſe: Collapſas apud Hebræos, vel temporum, vel captivitatum, vel bellorum injuria Aſtronomicas illas diſciplinas a Patriarchis acceptas priſtino ſplendori reſtituiſſe Moſen & Salomonem, ſub quo potiſſimum Rege, quod egregiè floruerint exſtaſſe monumenta non pauca adeò, ut perſeverante eo in populo ſapientiſſimi Regis inſtitutione, adfirmare deinde potuerit, poſt ſæcula non minus quàm ſeptem Eccleſiaſtici

Au-

Author in Prologo : Oportere laudare Iſraël doctrinæ, & ſapientiæ cauſſa : Locupletem horum omnium teſtem eſſe Philonem , qui licet vitam ageret ſequioribus Hebraicæ Reipublicæ ſæculis , in diſciplinis omnibus adeò tamen excelluit , potiſſimum verò in Aſtronomicis , quas è traditione quoque illuſtravit , ut ſi in reliquis , in hoc etiam Platonis ſuppar meritò audiat , quum ejuſdem veſtigiis inhærens ſyſtemati Ægyptiaco , quod proinde & Hebraicum dici poterit , & tantum non iiſdem verbis , quibus Plato , ſubſcripſerit : Hebræorum profectò pleroſque fuiſſe Aſtronomicis ſcientiis nefarias ad artes abuſos, quod eidem genti jam ab Moſe ipſo crimini verſum, deinde a Prophetis ad uſque Chriſtum natum ; hoc ipſum tamen validiſſimè confirmare, eas ſemper apud Hebræcs mirificè floruiſſe; atque adeò habuiſſe aliquam ſyſtematis formam, quam jure arbitrantur docti cum Ægyptiaca , ac proinde etiam cum veritate convenire : Idem demum eſſe ſyſtema Hebræorum ac Patrum. (*a*) Si itaque ab primæva illa ſanctiſſima traditione vera pendet, certaque ſyſtematis naturæ cognitio , quis inficiari umquam poterit , eâdem

(*a*) *Synopſ. de vero mundi Syſtem.*

dem modo ab traditione erui oportere ſyſtema vitæ, legis ſcilicet naturalis?

XVII. Hac verò de cauſſa nonnulli non ea modo, quæ dicimus principia, ſed & reliqua naturalis legis præcepta primæva docent eſſe ab traditione profecta. Quum enim homo naturali in conditione tria neceſſariò reſpiciat, Deum ſcilicet, ſeipſum, ceteros; quibus quidem quæ debentur officia, diverſa quum è radice provenire debeant, tribus ſcilicet ab amoribus, Dei nempe, ſuimetipſius, ac ſocietatis, operationum naturæ fontibus, ad harmoniam demum, ordinatamque proportionem debent iidem redigi, veram ut naturæ legem atque conditionem conſtituant; nedum enim ii, qui tres illos haud agnovere juris naturæ fontes, in falſas omninò lapſi ſunt ſententias, verum & ceteri, qui determinatum eos inter amores ordinem haud poſuere. Quum verò amari ac teneri quod ignoratur haud poſſit, neque volitum quid ſit, quod non ſit antea præcognitum, præcedat utique in homine neceſſum eſt infiniti æque ac omnipotentiſſimi Numinis, humanorum adfectuum, & ſocietatis, practica quidem, unoque veluti in ſyſtemate conflata cognitio, eo ſcilicet in gradu, quo optatam

reapſe præſtare valeat inter motus animi proportionem, in qua vera juſtitia, naturalis utique legis meta, ſita eſt. Videt jam quique naturalem illam amorum harmoniam effici ſola rerum aliquarum cognitione non poſſe, pluribus verò inter ſe nexis cognitionibus indigere; ſiquidem ad efficiendam plurium inter ſe proportionem inanis propè, & vix inchoata eſt univerſalium cognitio principiorum, niſi ſpeciales accedant determinatæque veritates, quæ ordinatam ſingularium vim atque naturam oſtendant. Et homini quidem omnium Parenti, integris adhuc freto viribus atque virtutibus facilè omninò fuerit, cum principiorum, tum etiam earum, quæ inde fluebant, veritatum cognitionem certitudinemque indipiſci, erantque in illo aperta rerum agendarum argumenta; agebatur ſcilicet tribus illis inter ſe ordinatis amoribus. Aſt imminutis animæ facultatibus, exortaque altera in homine lege, adeò ut ſui inordinatus amor ceteris impotenti imperio dominaretur, difficillimam ſtatim effectam ajunt priorem illam, quæ naturalem ad conditionem, adque retinendam ſocietatem requiritur harmoniæ cognitionem. Enim verò non adeò ablatas fuiſſe fatentur illo in occaſu naturales homi-

minis facultates, ut humana in natura ratio modò exſtiterit ſubjectiva, & animæ tantum inhærens, aut nulla ut in eo fuerit agendarum rerum cognitio: fuiſſe immò in homine dicunt etiam vitiato actuoſos quoſdam igniculos, & naturalium elementa virtutum, ſive univerſalia aliqua, quibus ad naturæ leges ordinaretur, principia; quæ tamen etſi determinatas reverà continent veritates, inferri ab ipſo tamen eas nonniſi probabiliter potuiſſe; non quidem quod minus conſentaneæ eſſent illæ rationi, aut nulla fortaſſe determinatis in rebus bonitatis eſſet ac malitiæ intrinſeca natura, quod & falſum, abſurdumque eſt, & ſocietati contrarium; ſed quod lapſo ab innocentiæ conditione homine, obnubilatoque nimium ſui ob amorem intellectu, communiſſimis è principiis, nonniſi difficiliter, aut ſi rectè aliquando, conſtanter tamen firmiterque ad eas mens humana deſcendere haud potuerit veritates, quibus adverſas inter ſe corporis ac mentis leges, divulſoſque ab primo, ceteros coire faceret humanæ fontes ſocietatis. Ea verò omnia ex illorum moribus legibuſque, qui vera traditione caruerunt, vehementer confirmata oſtendunt; nam etſi nulla gens adeò

fuiſſe

fuiſſe videatur extra leges, moreſque projecta, ut non aliquos Deos crediḍiſſet, eas tamen intulere Gentes de Natura Divina opiniones, eaque ratione creditos illos inanes Deos excoluerunt, ut non ratione duce, aut naturæ aliquo bene intelligentis principio, ſed ex errore potius, & prout impetus animi tulit, illud præſtitiſſe viſæ ſint, quod nos primum vocamus humanæ naturaliſque officium ſocietatis. Primos enim, qui antiquiſſimi fuerunt, haſtas colere cœpiſſe, aut ligna delibrata corticibus, pro Diis inquiunt veneratos: inde a Romanis religionem fluxiſſe, ut ſingulis Deorum ſimulacris haſtas darent: tametſi antiquiſſimos Romanorum, centum ſeptuaginta annos ſine Deorum imaginibus vixiſſe nonnulli teſtati ſunt: Indos quicquid colere cœperunt, præcipuè maximas arbores putaſſe Deos, illaſque pro Numinibus veneratos, quas ferro violaſſe capitale habitum; ex quibus nonnullos Draconem quinque jugerum, velut Liberi patris ſimulacrum, coluiſſe: Perſas Meſſagetaſque Cælum, Jovem: Solem verò Deum maximum dixiſſe, equoſque illi feciſſe ſacros, quibus & interdictum, ne quem præter Solem venerarentur: Quicquid arbori-

bus quernis naſcebatur, è Cælo miſſum exiſtimaſſe; eoſdem inde Planetis elementiſque ſacrum etiam facere inſtituiſſe, ignemque religiosè adeò excoluiſſe, ut cremare corpora ducerent nefas, ne contagio cadaveris, Deorum maximum violarent: Perſuaſum habuiſſe multos, Martem pervigilem Deum eſſe, & præſentiſſimum Numen: quare Nevros, qui juxta Boryſthenem erant, enſes pro Martis ſimulacro adoraſſe: Fuiſſe qui arbitrarentur, viſco, quod in querna arbore naſcebatur, nullum præſentius æſtimari Numen; Druidas ſcilicet præcipuæ ſuperſtitionis homines: Alios mari porrectum collem dixiſſe Deum, quod eo occluſa vallis, æſtu Oceani non inundaret: Cappadocibus quoque montem Deum habitum: Phrygiiſque Mæandrum & Marſyam: Scytas illos inhoſpitales, qui intimas in ſolitudines acti erant, ſuper ſarmentorum faſcibus vetuſtiſſimo conlato acinaci, velut Martis ſimulacro annuis litaſſe hoſtiis. Pænos Solem & Lunam, Syroſque occœcatis animis Piſces & Columbam ſibi conſecraſſe: Trogloditas Teſtudinem, Heliopolitanos Bovem, Memphitas Vaccam, Lentopolitanos Leonem, Capram Hircumque Mendeſios, Thebanos Aquilam, Lycopolitanos

nos Lupum, Babylonios verò Cepum, ab his, propitio veluti ab Numine, petita accipere arbitratos: Cyrenaicos Acorem, magnum Muſcarum Deum æſtimaſſe: Arabes ad Memnonium Cercopithecum dicaſſe Cælo, illius opem rebus in afflictis imploraturos: Ægyptioſque Apim præcipuo honore veneratos, ſolum reſponſa dare, proſperoſque eventus, aut futuras præmonſtrare calamitates fabulatos, modo Iſim & Oſiridem, Serapim modo, & quod dicere piget, Crocodilos, a quibus hominem devorari, tamquam a Deo expetitum, magni muneris habitum loco, modò Ichneumones, Ibes & fœda animalia, aliaque ludibria religionum, velut Deorum Numina colentes, ſicuti & Scarabæos. Quod ſi illorum, inquiunt, ſacrificia ſcrutari, barbaroſque & externos ritus in examen revocare conemur; quam impios cultus, & quam infanda ſacra, tot efferas apud nationes vario gentium ritu inveniemus? Schythotauros itaque pro hoſtiis advenas Dianæ immolaſſe contendunt, Laodicæos Palladi Virginem, Arcades Jovi Licæo puerum: pleroſque juxta Boryſthenem vecordi animo humanas dare victimas, inque ſacrificiis Deorum humanis oſſibus adolere

lere ſolitos : Blemmias, Cimbros, Gallos, Druidas, Germanoſque, ſtatis diebus, humanis litaſſe hoſtiis, & cruore captivorum adoleviſſe aras, tunc propitiari Deum maximè arbitratos, quum per cruciatum homines excarnificarent, ex pœnis hominum & auguria captantes, & divinationem : Fuiſſe apud Phœnices & Carthaginenſes nimium diù ſervatum, ut infantes principali honore inſignes ſorte ductos, regio in ornatu Saturno immolarent hoſtias : & quem ſors morti deſtinarat, morti ſubtrahere non licuiſſe : quare multorum civium largis fletibus deplorata funera : quibus a ſacris quum deſiviſſent, victos inde ab Agatocle, ſubiratos propterea Deos, ducentis nobilium filiis ad aras mactatis placare ſategiſſe; adeò cæca mortalitas ſub nomine religionis ad infandas cædes agebatur præceps. Ab Rhodiis etiam & Cretenſibus gravatum epulis hominem, impuberesque pueros feſtis diebus Saturno mactatos ajunt; inque Chio & Salamine multa ſecula viguiſſe morem, ut Diomedi & Dionyſio homines jugularent diſcerptos : ejuſdemque Dionyſii Templum in Arcadia fuiſſe, in quo puellæ ad aram flagellarentur ad necem : ſicut Spartæ in ara Mercurii, & Orthiæ

Dia-

Dianæ pueri. Quin etiam alios ingenti ſimulacro viminibus intexto, & vivis hominibus oppleto, igneque ſuccenſo, hominibus fœdum in modum exanimatis, maximum putaſſe offerre Diis holocauſtum: Biis & Celtis purgato captivi hoſtis capite, calvariam auro cælare, eoque poculo in ſolennibus libare religioſiſſimum fuiſſe: Proditum Meſſenium Ariſtomenem; Jovi, quem Ithometem appellant, tercentos ſimul homines, in quibus Theopompus fuit, uno mactaſſe ſacrificio; Lacedæmonioſque eo veſaniæ proceſſiſſe, ut Marti humana victima litarent: Galatas & Maſſagetas non aliter Deos ritè conſuli arbitratos, quam jugulato homine apud aras Deorum, cujus è caſu, tum & membrorum laniatu, & fluxu ſanguinis futura divinarent: Ab Cimbris noxios homines ſervatos, ſudibus adfixos, Diis pro hoſtiis datos: Gallos præter Heſum & Theutatem Mercurium, quos humano cruore placabant, gravioribus morbis aut periculis adfectos ad placandas Deorum aras, aut homines immolaſſe, aut ſe immolaturos voviſſe, cujus ad aram grandævos etiam ætate victimas ajunt factos: Luſitanis veterem fuiſſe morem ex inteſtinis hominum exta proſpi-

cere,

cere, atque inde omnia captare divinationeſque, abſciſſaque captivorum dextra pro munere Diis offerre: Thraces Lamolxim, quem maximum putabant Deum, haud aliter æſtimaſſe fieri propitium, quam ſi ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam, gratiſſimamque Diis opinatos victimam: Germanoſque barbarico ritu, Mercurio humano cruore litare aſſuetos: Idem feciſſe Senonas, Perſas, Græcoſque anniverſaria in ſolemnitate Bacchi, Leucadioſque Apollinis in ſacroſanctam immò animorum inſipientiam fuiſſe, tamque præcipitem imperiti vulgi libidinem, ut omnes ferè mortales in Templis coire, nefandiſque libidinibus immiſceri, ac pudendis genitalibus ſacrum facere, quod procreationis ſeminarium forent, nefas non putarent, ita ut Britannis longo tempore mos inoleverit, conjuges & nurus nudas, & ſucco herbarum delibutas ad Templa ducere, & ita ſupplicare: Corinthi ſupra mille proſtitutas in Templo Veneris adſiduè degiſſe, & inflammata libidine quæſtui meritricio dediſſe operam, ſacrorumque veluti miniſtras Deæ famulatas, (*a*) unde naturæ ac humanitatis nihil tot in hominum

(*a*) *Alex. ab Alexand. Dier. Gen. Lib. VI. Cap. 26.*

num cultu potuerit apparere. Cetera verò relatè ad hominis munera, non eadem fuiſſe certum eſt omnibus honeſta ac turpia, ſed omnia regionum inſtitutis judicata: laudi aliqua in regione datum, quod in alia nefas habitum: pleraque aliquorum moribus fuiſſe decora, quæ apud alios partim infamia, partim humilia, turpia partim putabantur, atque ab honeſtate equitateque remota. Perſis legitimum viſum ſuis miſceri filiabus, unde & nato genitrix & nata parenti, ut indecora pietas geminato creſceret amore, jungerentur, (*a*) Meſſagetaſque Uxores habuiſſe communes; (*) quod & Ceylani de incolis retulit noviſſimus Author. (*b*) De Thracibus memorat Florus, (†) ſolitos eos litare Diis ſanguinem humanum, bibere in oſſibus captium, & hujuſcemodi ludibrio fœdare mortem tam igni, quàm fumo: partus quoque gravidarum extorquere tormentis. Edixiſſe Abſagorum Principibus Juſtinianum certum eſt, pueros ne Subditorum caſtrarent, (§) Inchaſque in Peruana Reges, vicinos

---

(*a*) *Laërt. in Vita Pyrrh.*
(*) *Eudox. in Primo Periodi.*
(*b*) *Cheureau.*
(†) *Lib III. Cap. 4.*
(§) *Procop. Goth. IV.*

cinos populos, qui moniti non parerent, vi coëgiſſe abſtinere ab inceſtis, a marium concubitu, ab commeſtione hominum, aliiſque id genus facinoribus. Hominum verò ab innocentum ſanguine Carthaginenſes abſtinere impuliſſe Darium Hyſtaſpis filium, Xerſis Patrem Perſarum Regem, & Gelonem Syracuſarum: Barbaroſque humanis qui victimis Deos colebant, pœnas daturos Romanis fuiſſe, ſed antiquitatis more quum ſe excuſarent, nihil mali paſſos: vetitos tantum ne quid impoſterum tale facerent. Enim verò tametſi multum debuiſſe Romanis viſum olim ſit univerſum genus humanum, quod ſcilicet hujuſcemodi monſtra non ſemel honeſtè ſuſtulerint, legeſque illæ, quas è Græcia tulit Roma, tanta audirent modeſtia, juſtitia, æquitateque præditæ ac honeſtate, antequam tamen in veræ traditionis placita deſcendiſſent Quirites, non omni eas ajunt inhoneſtate caruiſſe ac feritate; inhumanè nimis ſcilicet adverſus ære alieno preſſos ſtatutum, partuumque expoſitionem permiſſam, necemque, & cetera, quæ temperari frænarique per Juris præcepta indigebant, Juriſconſultorum humanitatem nempe ac ratiocinium; necare enim videri non eum modo,

qui

qui partum perfocat, ſed & abjicientem, & alimenta denegantem, & miſericordiæ cauſſa, quam ipſe non habet publicis exponentem locis. Ex Græcorum autem conſuetudine, quorum in Gymnaſiis liberi conceſſique, caſti immò dicebantur puerorum amores, (*a*) obbrobrioque Græcis erat adoleſcentibus, amatores ſi non haberent, (*) nefandum in morem latè deſcendiſſe Romanos, uti apud Tullium Cotta fateri non erubeſcit, de Q. Catulo referens Municipem ſuum Roſſium diligente, in quem carmina etiam amantis refert. (*b*) Totius autem humanitatis multis in rebus Sinas viſos expertes: alienigenas fermè averſari, interioreque uſu & hoſpitio prohibere: ære alieno preſſos, liberos vel mancipio, vel nexui dare, vel etiam (quod multò flagitioſius eſt) adhibita omni lenociniorum arte proſtituere: ungues enormem in longitudinem excreſcere pati; quaſi verò id (quemadmodum apud Græcos olim & crepidis uti, & comam alere) ingenui hominis, & ſordidis operibus nequaqum occupati indicium ſit: cognitores capitalium rerum,

(*a*) *Cicer. Tuſc. V.*
(*) *Cornel. Nep. Praef.*
(*b*) *Lib. I. de Nat. Deor.*

amplianda toties cauſſa, per ſpeciem lenitatis diram crudelitatem exercere, reos quippe, quorum eſt magna ſemper multitudo, interim onuſtos catenis, noctu præſertim arctiſſimeque inter ſe conſtipatos, atque conſtrictos, ſæva adeò ac tetra cuſtodia detineri, ut dilatam ab Judicibus mortem, haud pauci quotannis accerſant, ſibique ipſi inferant vim. Interea in conſpectu comeſſantis & ludibundi ſæpe Judicis, ſerias quæſtiones per tormenta exerceri, quorum genera nec Siculi, nec Romani Tyranni invenire crudeliter potuere. Cum ea gentis immanitate profuſam libidinem eſſe conjunctam; abdomini, ceteriſque indignis honeſta inſtitutione voluptatibus, nulla prohibente lege, intemperanter indulgere: leges & edicta ad ſervitutem magis & abjectionem populos informare, quam ad virtutem, & magnitudinem animi, & ſocietatem. (*) Gentes demum pæne omnes eadem ajunt ratione in terras irruere auſas aliorum, qua Galli primum, Quiritum agros dum peterent, qui Legatis Romanis, quodnam id jus eſſet, agrum a poſſeſſoribus petere, aut minari arma quærentibus, ecquid in Etruria rei Gallis eſſet? Illi ſe in armis jus ferre, omniaque

(*) *Maſ. Hiſt. Ind. Lib. VI.*

que fortium Virorum eſſe securiter reſponderunt: (*) Hoſce omnes tamen populos, tametſi efferatis adeò moribus, atque inhumanis conſuetudinibus deditos, haud minus ac humaniores alios, communes illas mentis notiones, ſummamque ſe arbitratos rationis legem ac naturam conſuluiſſe probè; nullum enim eſſe tam turpe ac deteſtabile facinus, quod aliqua ſaltem ratione non excuſare modo, ſed ſecundè etiam feliciterque non poſſis interpretari: unde univerſalibus illis cum mentis notionibus ea ratione videri actum, ac veteribus cum Inſcriptionibus, Oraculorumque reſponſis, quæ quiſque ſuum juxta ſenſum legere, interpretari, atque accommodare conatur: Rem aliquando aliquos acu tangere, ſæpe tamen occultas illas ſignificationes ad oppoſita detorquere & flectere, Amilcaris inſtar quum obſideret Syracuſas, qui inter ſomnium vocem exaudiſſe ſe credidit nunciantem, futurum ut proximo die ea in Urbe cœnaret. Lætus igitur, perinde ac divinitus promiſſa victoria, exercitum pugnæ comparabat: in quo inter Siculos & Pœnos orta diſſenſione, caſtris ejus Syracuſani irruptione ſubita oppreſſis, ipſum intra

Ii 2 mœ-

(*) *Liv. Lib. V.*

mœnia ſua vinctum pertraxerunt. Magis itaque ſpe, quam ſomnio deceptus, cœnavit Syracuſis captivus, non, ut ipſe præſumſerat, victor. (*a*) Hacce itaque ratione errare frequens homines conſequuntur, dum univerſalibus è notionibus intellectus, abſque certa traditione, ad ſpecialia deſcendunt vitæ præcepta; ſubrepere enim haud ſemel pro virtutibus vitia proximitate fallentia, unde quod deteſtabile facinus eſt videatur eſſe votivum; quare ſibi relictum humanum animum certas efformare, conſtantes ac determinatas non poſſe officiorum leges ac ſocietatis.

XVIII. Enim verò tametſi conceptu difficilè videatur, quanam ratione depravatio conſuetudinum, opinionumque varietas ita imbecillitatem animorum potuerit torquere ac flectere, ut adtenuata primæva illa naturalis legis traditione, in mores univerſum pæne genus humanum deſcenderit juſtitiæ repugnantes ac honeſtati, hoc tamen eum comprehendere de facili poſſe contendunt, qui animadverterit, quantum erroris aliquando creare ſoleat ſimilitudo. Virtus enim atque juſtitia tametſi illis ſolum reperiatur in acti-

(*a*) *Val. Max. Lib. I.*

actibus, qui illud modò, quod ſuapte natura rectum, juſtum, honeſtumque eſt aptè reſpiciunt: vitio contra adfectæ, injuſtæque ſint actiones illæ ſolum, quæ virtuti natura ſua tali adverſantur atque juſtitiæ; virtute tamen adfectas eas etiam exiſtimavere homines, quæ juxta ſunt legem opinionis, vitioſaſque dixere conſuetudini repugnantes; quum enim in ſocietate civili actus legibus opinionis conſoni laude, atque honore digni cenſeantur, contra verò contemtu ac vituperio, qui civili adverſantur conſuetudini; cumque laus virtutem perpetuò ſequatur comes, vitium contemtus; heinc ob honeſtatis & gloriæ ſimilitudinem, ideam laudabilis, ita ut dicam, actus cum idea virtute præditi, ideamque vitio adfecti, cum idea contemnibilis actus perperam confundere viſi ſunt: bonum iccircò ſuapte natura, juſque eſſe dixerunt, quod ne conſuetudine quidem bonum erat dicendum, & prout legibus conſonum opinionis; quum in naturæ officiis nulla debuiſſet eſſe diverſitas, diſcrimen nullum; unus enim eſt humani generis populus, una ſocietas, Civitas una, & Patria communis, quæ unam poſcunt profectò morum legem ac conſuetudinem. Heinc ipſi-

Heinc ipſimet etiam de Schola homines, præconceptis ſuo de more intervallis, quæ prima inter principia, eorumque conſequutiones interjecta ſunt, bifariam legem naturæ dixerunt eſſe mutabilem, per additionem ſcilicet, ac ut ajunt, per diſtractionem; adjectam enim ajunt naturali legi divinam cum veterem, tum etiam novam, quod quum obſcurata jam eſſet prior illa in mortalium mentibus, denſaque caligine obducta, innovari poſſet; conſtareque non externos modo actus, verum & internos ad normam eſſe legis componendos: neque naturæ jura amicis deberi modo, ſed etiam inimicis, unde & humanum jus perficeretur, & ea, quæ illi deerant, conſilia ſupplerentur. Enimverò tametſi naturæ lex ita mutari non poſſit, ut quod prius naturalis fuit legis, deſinat eſſe talis juris; aſt tamen humana propter impedimenta, ea ratione, qua neceſſarias circa ſpeculabilium conſequutiones contingit ob mentis lipſitudinem aliquando hallucinari, ita & naturæ legem fatentur in hominibus poſſe aliquando deleri, poſſeque barbaros tanta morum vitioſitate perverti, atque errorum perverſitatibus offuſcari, ut pro peccatis non ducant, quæ lex naturæ vetat,

vetat, neque id in conſequutionibus ſolum, quæ longè a principiis diſtant, uti officioſum eſt mendacium, aut fornicatio ſimplex, verum & in his quoque, quæ propinquiores, ſubindeque lucidiores exiſtunt: fierique poſſe ut inordinatæ Reſpublicæ & Principes jura contra naturam aut inſtituant, aut nulla denotent culpa & impunè permittant, ſecundùm Iſaïæ verbum: Væ qui condunt leges iniquas. Naturalem itaque præter legem, neceſſariam fuiſſe traditam, quum actus humani circa ſingularia contingentia verſentur, quæ lubrica fallentiaque ſunt, ac ſubinde diverſis ingeniis varia judicia pergignunt, è quibus varios apud populos humanarum legum oritur diverſitas, ut aliud fuerit Athenienſium, aliud Romanorum jus, aliud Hiſpanorum olim, Gallorum aliud. Neceſſe igitur fuiſſe, ut divinitus nobis illuceſceret lex, quæ fidiſſima eſſet, certiſſimaque norma, ad quam humanæ omnes exigerentur, & collimarentur: & per quam ſcire homo certò poſſet, quid ſibi congruens eſſet, quid verò nocens. Talem fuiſſe Decalogum olim in Tabulis a Deo inſculptum, ac Evangelium modò noſtris impreſſum in mentibus, eaque de cauſſa appellaſſe Pro-

phe-

phetam legem teſtimonium fidele : etenim humana lex nulla exiſtit uſque adeò certa, & ſtabilis. (*) Ex ea verò valida nimium receptæ conſuetudinis poteſtate neceſſariam fuiſſe ſe arbitrari dicunt ex Religione Sceptici non relatè ad principia modò , verum & relatè ad naturalis præcepta legis traditionem , ne ſcilicet univerſum genus humanum in contranaturalia adeò rueret facinora , ut dirigi amplius in rectà non poſſet; ætas enim prima poſt tincturam voluptatis ægrè alium colorem bibit; quare jure venit in mentem acerbiſſima illa Cretenſium imprecatio , omnibus expetentium votis , ut hi , quos devoverent , mala delectarentur conſuetudine; qua imprecatione nullam cenſebant ad excidium properandum efficaciorem: tamquam qui in abuſum ſemel fuiſſet lapſus, amplius emendare facinus, frugulesque ad mores recipere ſe non poſſet : graveſque pœnas olim ſanxiſſe fertur Charondas, omnique ſupplicio dignos putaſſe illos, qui cum malis aſſueſcerent : Immò non voluptates modo , ceteraque animum quæ delinire ſolent , in deliciis eſſe , ſimul ac iis rece-

(*) *Soto de Juſt. & Jure . Lib. I. Qu. IV. Artic. 5. Lib. II. Qu. I. Artic. 1.*

recepta utimur conſuetudine, ſed infortunia etiam atque tormenta; ſuo enim vendicata armis imperio Livonia, eam ſibi novis firmare legibus inſtituerat Stephanus Poloniæ Rex: quumque per receptam veterem conſuetudinem infimi agrorum incolæ, qui omnes ſervi erant, etiam cum leviter erraſſent, virgis ad necem pæne crudeliſſimè cæderentur, immane illud ac barbarum ſupplicium mitiores in pœnas immutare animo conſtituerat clementiſſimus Victor. Verum ii ipſi, qui dirè adeò plectebantur, novæ legis pertæſi, ad Regem ſupplices confugere, enixè deprecati, ne quid receptis de moribus immutari ſineret; paſſos ſe gravius jugum, quotieſcumque patria è conſuetudine receſſiſſet. (*a*) Adeò conſueſcere multum eſt.

XIX. Quidem non barbaros modo aliquos populos, verum & Philoſophorum acutiſſimos, vera primaque traditione carentes, in morum ac naturæ legibus veſtigandis turpiſſimè fuiſſe deceptos, contendere ſatagunt ii, quorum in ſententia, nedum generalia illa univerſi juris principia, verum & determinata vitæ præcepta humanis adſequi

Kk viri-

(*a*) *Acta Petr. Mag. Ruſs. Imp. Tom. I.*

viribus non potuere. Alios nempe animadvertunt, naturæ legem ab ſola humana ratione, tamquam ab ſua radice efferentes, rectum animi judicium, inconſultis naturæ adfectionibus adeò antepoſuiſſe, ut ſenſus honeſtati contrarios vitium exiſtimaverint naturæ univerſæ quodammodo ægrotantis, atque ab inſtitutione ſua turpiter deflectentis: alios è diverſo, quum abſurdum autumaverint partem anteferre toti, legemque communem rerum ad certæ ac peculiaris naturæ ſenſum, & ad rationem humanam res ita expendere univerſas, ut quod homunculis conveniat, aut repugnet, id infinitatis totius perfectio aut vitium habeatur, nullam iccircò boni malique poſuiſſe viſos naturam, juſque convellere naturale, (*) eorum nempe primos caſtratum feciſſe ac veluti decorticatum hominem, adfectuſque omnes, quorum impetu animus commovetur ex eo abſcindere conatos, cupiditatem, lætitiam, metum, mœſtitiam morbos interpretatos, non tam natura inſitos, quàm prava opinione ſuſceptos, propoſitoque adroganti ac pæne furioſo mederi ſe & eniti poſſe adverſus vim rationemque naturæ. Prodiiſſe ſiquidem hu-

(*) *Gravin. de Orig. Jur. Lib. I.*

hujuſcemodi morum magiſtros, eorum uti erat inſtitutum, obſoleto nigroque pallio, obſtipo capite, ore inculto atque horrido, capillatos, ſuperciliosſos, hominum potius terriculamenta quàm homines; quum autem ſe, tamquam cælo demiſſos, ad hominum licentiam coërcendam magnificè jactaſſent, tum dogmata fundere cœpiſſe, quæ cum illo cultu & habitu convenirent: peccata omnia eiſe æqualia; nulla de re dolendum; voluptatem omnem turpem eſſe; nullum amicitiæ locum, nullum gratiæ, nullum miſericordiæ tribui debere; errare qui exiſtimant nobiſcum vitia naſci, ſupervenire illa, ingeſtaque eſſe; nulli nos vitio naturam conciliare, & id genus ſexcenta, quæ ſi communiter perſuadere potuiſſent, aut quæ juxta effata homines demum vitam ducere ſi voluiſſent, nullas jam habuiſſemus ſocietates, hominesque cum hominibus coire minimè valuiſſent: Stoicum icciircò fuiſſe Draconem, cujus lege cavebatur, ut qui otii damnatus eſſet, capite lueret; quærentique cuidam, cur omnibus delictis capitale ſtatuiſſet ſupplicium? Se quidem delictorum, vel minimum morte dignum judicare reſpondiſſe, ad maxima verò nullam invenire ſe pœnam

 mor-

morte majorem : Dum itaque nos ad naturæ leges manuducere perrexiſſe Stoicos , illam nos trahere viſos ad ſemitam , quæ non animi modò , ſed & ſocietatis conditioni atque tranquillitati adverſa ſit : Platonem verò naturæ legem abſtractis ab ideis eruere auſum, novam meditatum eſſe ſocietatem , prima quidem fronte beatiſſimam , abſque vitiis , uti ajebat , ac voluptatibus ; reapſe tamen lapide vaniorem Philoſophico , inverecundam atque impoſſibilem prorſus : cujus quidem Leges atque Statuta , ſi fortè in nervuum erumpere potuiſſent , ſocietas hominum naturalis funditus fuiſſet everſa : Haſce inter leges extra omnem ſenſum maximè illas , quibus non Viris modò , ſed Mulieribus etiam nudanda corpora , exercendaque Gymnaſticis exercitationibus eſſe permittit , nulla cum primis verecundiæ ratione habita , ſine qua nihil ſatis laudabile eſſe poteſt ; bene enim Ennius :

Flagitiis principium eſt , nudare inter Civeis corpora .

Mulieres etiam ejus in Republica rebus fuiſſe bellicis exponendas , efficiendamque ad ſocie-

cietatem omnino unam, non res modò, poſſeſſiones quaſcumque, atque divitias, verum & mulieres, proleſque decretas eſſe communes; quæ profectò non humanam modò evertere ſocietatem, ſed ipſamet etiam extinguere ac delere prorſus, eradicareque videntur, quæ præfocata in nobis ſunt virtutum elementa & ſemina, & adverſus ſunt reliquam illam vim imbecillis adhuc imperfectæque naturæ: Ariſtotelem ad diſputationis potius, quàm ad vitæ uſum ſuam confeciſſe viſum moralem Philoſophiam; nihil enim in ea invenire eſſe, quod ad affectus animi coërcendos, atque vitam probè ſapienterque inſtituendam aut hortetur, aut impellat, aut ducat; Nullam quippe eſſe poſſe relatè ad ſocietatis felicitatem moralem illam Philoſophiam, quæ de diverſis agit virtutum vitiorumque actibus, ut ad quos habitus pertinere debeant, oſtendat, ſciatque derivandæ ne virtutes ſint a modo an ſubjecto? uberior ne ſit an ſecus earum chorus? cujus demum præſtantior natura ſit ac excellentior? quæ ſanè omnia ad bene beateque vivendum nulla ratione ſpectare poſſunt: Adferre Buſſerium ſuo in Tractatu philoſophico practico ſuper **Poëſi** feſtivum ſanè

Co-

Comediæ exemplar, quo Rex perſonatus inducitur, ideis Philoſophiæ contemplativis Rempublicam moderaturus: quas dein illequum revocare pergit ad praxim, tales incidit in ambages, riſum ut tandem moveat adſpicientibus, coarctuſque ſit ſe imperio movere, pœnaſque ſuæ dare ſupinitatis. Cum populo enim ubi res eſt, qui, utpote numeroſior, ignavioribus conſtat, populariter agendum eſt, ut perſuadeatur. Negligit ille quem non intelligit, exempliſque movetur atque ſententiis, non rationum pondere atque argumentorum; unde quod ſenſibile modò eſt, quod naturæ ſimpliciter conſonum, quod breve, quod facile, quod planum, quod apertum, ac veluti extimum eſt vulgi capacitatem expleat, interiora aut numquam aut difficile rimetur; ex quo uberiorem aliquando eloquentiam inidoneam eſſe Foro videmus, quæ ſcilicet ſe multitudinis impotentiæ adtenuare non patitur. Legem itaque brevem eſſe opportere, facilem, quo vel ab imperitis teneatur, divinitus veluti vocem emiſſam, jubere debere non diſputare, neque frigidius aliquid, quam lex cum prologo: monendum ſi quid feciſſe homines velis, aut imperandum potius, ubi non diſce-

ſcère neceſſe ſit, ſed parere. Heinc Cicero querebatur, Catonem interdum nocere Reipublicæ, quod dicere ſolitus eſſet tamquam in Platonis Republica, non tamquam in Romuli fæce ſententiam. (*) Ceteros autem apud Peripateticos non ſubtilem illam Ariſtotelis, ſed popularem aliam potius invaluiſſe animadvertunt dicendi rationem, & ad id quod reipſa fit quodammodo accommodatam; quoniam enim vivitur non cum perfectis hominibus planeque ſapientibus, ſed cum iis, in quibus præclarè agitur, ſi ſint umbræ quædam, & ſimulacra virtutis, heinc non ſanandos hominum adfectus, ſed moderandos docuiſſe, ſeu temperatè iis in actibus verſandum, ad quos impellimur natura: Vitia itaque eſſe in homine conceſſiſſe, eadem exinde ad mediocritatem redigere ac temperare conatos, non ut mores hominum ad legis normam revocare ſat gerint, aut Lycurgi inſtar extremas tenderent ad virtutes, ſed (quod in Solonis relatè ad Athenienſes, aliorumque legibus Legum latorum eveniſſe certum eſt) ut effata potius ſua, eorum juxta vivendi rationem, qui humani abs ſe nihil alienum putant, accommo-

(*a*) *Lib. II. ad Attic. Epiſt. 1.*

modaverint; tantum ſollicitos ne quid nimis, Politicorum potius more quàm Philoſophorum; politicæ enim arcanum eſt, hominum vitia, utilia aliqua ſaltem ratione efficere ſocietati; nec enim animum illa mutat, ſed animi perturbatis etiam paſſionibus ſuum uti ſolet in finem: Epicureos demum indulgentes nimium, corporique deſervientes, omnia quæ ſervarent in vita, quæque fugerent, voluptatibus ac doloribus ponderaſſe, ſummumque bonum ita conſtituiſſe, ut nihil haberet cum virtute conjunctum; quos iccircò in hortulis ſuis juſſos dicere a Tullio, atque etiam ab omni ſocietate Reipublicæ, cujus partem neque noſcebant ullam, neque noſcere umquam valuerunt faceſſere: (*a*) ceteroſque omnes Philoſophos de vita regenda ac officiis hominum diſputantes, adeò inter ſe contendere ſolitos, ut Advocatos eos dicere audeant Demiphoni, aut malum Genium ad eos adloquutum, quæ ad Tyrios Dido:

Stirpem & genus omne ferarum
Exercete odiis cinerique hæc mittite noſtro
Munera, nullus amor populis nec fœdera ſunto.

Quod

(*a*) *Lib. de Legib.*

Quod ſi doctiſſimi, uti ajebant, hominum, Græci ſcilicet Romanique Philoſophi, è notionibus illis univerſalibus & abſtractis, eque indita naturæ vi, feliciter adeò ad ſingulares illas haud potuerunt deſcendere veritates, quibus ordinata vitæ officia inſtituerent ac propagarent, occultoſque illos dignoſcerent naturæ complexus, quibus per intimos animi motus agimur ac gubernamur, quoſque admiratione potius ac ſilentio venerandos, quàm Argumentis ac Diſputationibus indagandos jure præcipiunt ſapientes Viri; nihil enim eſt intima illa animi diſpenſatione, vel propter ipſius vim atque conatum, vel propter humani luminis imbecillitatem obſcurius ac difficilius; ecquid, inquiunt, de ceteris dicendum, apud quos nec tantum ingenii acumen, nec frequens adeò cogitandi ac differendi ratio, tantum denique eſſe non poterat veritatis ſtudium, ac proſequutio? Pauci nempe inventores ſunt, omneſque de rebus, quibus ſuo de agitur ſeculo frequentiſſimè cogitant; facile quippe inventis addere, difficile verò nimis per inacceſſam properare ſemitam. Et quidem de moralibus ubi agitur, audet Populus etiam definire, quod illarum voces rerum perviæ videan-

deantur, neque ſint, reliquis ut in Scientiis, ab vulgi conſuetudine, communique cogitandi more remotæ. Sed pauci revera intelligunt, omnes tametſi decidere velint, ac judicare. Quantum enim retroactis ſeculis (ut amore de Platonico taceamus) apud illos etiam qui veram noverant traditionem, erroris fuit atque inſaniæ, dum ea prætermiſſa, humaniſque modo ratiociniis, de honore equeſtri ac fortitudine diſputarent, id honeſtum arbitrati, quod glorioſum modo eſſet in vulgus, earumque virtutum ideam in iis etiam locare auſi, quæ nulla ratione eſſent cum vera virtute, atque honeſtate conjuncta: unde orta illa equeſtris Scientia, Romanenſibus ex fabulis omnino profecta, quam noſtris demum temporibus, tantaque ſui cum laude, evertit Vir immortalis Maffejus? Nobillimo ſcilicet è calamo Nobilium erant præjudicia corrigenda, abque Viro pietatis haud minus, quàm Philoſophiæ muneribus exornato. Adeò rectas habere virtutum ideas rarum eſt. Nemo enim eſt, qui quæ ipſe reperit, & excogitat, ſolam veram, optimamque rerum ac naturæ rationem non prorſus exiſtimet, etiamſi ab recto tramite, veritateque deflectat. Omnes, ſubdunt, homi-

mines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe debere, haud facilè verum provideri, ubi illa officiunt; & tamen plura, & multo plura judicare homines odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut perturbatione aliqua mentis, quam veritate, aut præſcripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus; ad omnes quippe adfectus impetu rapi, vituperare, laudare, miſereri, iraſci, utrumque præſens moveat adfectio; heinc neminem non quotidie conſilium mutare & votum; ſic maximè imprudentem coargui animum, alium prodire atque alium, eumdemque imparem ſibi eſſe: mutare inde perſonam, contrariamque ſumere relictæ; eam verò multitudinis naturam, ut aut humiliter ſerviat, aut ſuperbè dominetur; libertatem, quæ media ſit, nec ſpernere modicè, nec habere ſciat: minus verò eas invenire leges, quæ nec totam ſervitutem ſecum ferant, nec totam libertatem; ſe itaque ſemper ad rumorem componere, optimaque arbitrari ea, quæ magno ſenſu recepta ſunt, nec ad rationem vivere, ſed ad ſimilitudinem.

nem. Quid non enim perpetuò poſſit rerum obſcuritas, partium ſtudium, ſordida cupiditas, & quæ humanæ imbecillitatis efficaciſſimum duramentum eſt egeſtas? Philoſophorum etiam aliquos invidiam vitare paraſſe virtute relicta; in aliis intellectum haud minus, fortiùs immò quàm voluntatem deperire libertatem, ea quòcumque rapi, eamque ſequi, vel ſi ducantur in præceps, unde ferox illud contradicendi ſtudium; demum non ex harmonia, & unione morali animæ & corporis præconcepta ſumendam naturæ legem ac ſocietatis, ſed contra è naturæ lege extrinſecè adveniente inducendam modò duas inter hominis partes moralem unionem ac harmoniam; unionis quippe Phyſicæ ſi leges animam inter & corpus examuſſim adgnoſerentur, ſcientiam haberi quidem poſſe, de oſcillationis, ita ſi dici queat, moralis centro, principiis haud minus neceſſariis ac evidentibus innixam, ac ea ſint, quibus Hugerius, ceterique ejuſdem commatis Philoſophi demonſtrationes de oſcillationis centro, pendulorumque motibus confecere: leges iccircò connata intellectus humani vi, aut ſaltem Philoſophiæ ope induci ſtatuique poſſe perfectiſſimæ amorum

rum origines harmoniæ; quod impoſſibile prorſus unione Phyſica illiuſque centro ignoratis. Nedum itaque generalia illa ſyſtematis principia, verum & ſpecialia naturalis juris præcepta neceſſariò fuiſſe ab traditione deſumta.

XX. Alii è diverſo, tametſi humanam mentem divini partem intellectus, ipſum immò Deum, Stoicorum juxta ſententiam haud prorſus exiſtiment, naturalem tamen legem adhuc eſſe definiunt, rationem ſummam in natura inſitam, quæ jubeat quæ facienda ſunt, prohibeatque contraria; ex quo apertiſſimè conſequi videatur, neceſſarium nihil præter rationem homini eſſe ad præcepta juris inveſtiganda, quibus bene beateque vivat, & juxta perfectæ legem ſocietatis. Plurima itaque & ſpecioſa illa quidem nuperi aliqui tulere Scriptores de Atheorum ſocietate, quam eodem conſiſtere prorſus arbitrati ſunt modo, quo præſens hæc hominum, qui ſummis ſaltem in capitibus atque principiis divinæ nomina traditioni dedere. Totus ea fuit in opinione ab pluribus iccircò notatus adeò Bælius, eamque confirmare vehementer, Bælio diſſimilis licèt perrexit naturali in Theologia Wolfius, ubi

ubi hominum ait ſocietatem cum Atheiſmo poſſe coire. Quoniam verò, inquit, qui eſſe ignorat Deum, diſcrimen adhuc admittit actus inter bonos & malos, quatenus moraliter ſpectati ſunt: diſcrimen illud nimirum ait patere independenter a Deo; diverſas verò boni, malique repræſentationes motiva eſſe volitionis ac nolitionis, quibus poſitis ipſa ponatur volitio ac nolitio: heinc Deum ignorantem actionibus adhuc bonis ſtudere, & a malis abhorrere poſſe contendit, cujus quidem rei exemplo nobis oſtendit fuiſſe Confucium, quem diſtincta Numinis notione deſtitutum, ignoraſſe Deum Mundi Authorem & Gubernatorem vel ex eo conſtare, quod nullibi mentionem ejus fecerit, nec actionum bonarum motiva ejus petierit ab attributis: vitam tamen egiſſe eum honeſtam, perque ætatem omnem antiquius habuiſſe nihil, quam ut virtuti operam daret, alioſque perduceret ad eandem. Sanè Confucium actionis externæ cum interna conſenſum maximè urſiſſe, nec abſque illo virtutem alicui eſſe poſſe docuiſſe; ſummoque tandem obtinuiſſe ſtudio, ut ſeptuageſimo ætatis anno ſenſitivum cum rationali ſuapte natura, ac ſponte conſentire faceret appetitum.

tum. Hiſce verò è principiis alii primos homines, qui una cum ceteris animantibus ac plantis è terra extitiſſe ſunt dicti, aut ſine legibus, aut nullo jure, vagi ferique arborum baccis & crudis carnibus initio veſci, & ſanguinem potare aſlueti, ipſa dein ratione magiſtra & duce frugibus ali, tecta moliri, urbeſque condere cœpiſſe autumant; adhibitoque ſtudio paullatim a barbara & agreſti vita ad cultum fuiſſe manſuetudinemque traductos, rectaque tandem morum Philoſophia veluti è cælo devocata, in urbibus collocata, inque domos etiam introducta, vehementis inſtar, atque conſtantis militiæ animi ac diſciplinæ, egregiis inſtructos præceptis de natura humana definire demum potuiſſe, deque cauſſis rerum, quæ moventur, quæque nativæ ſunt ac mortales diſputare; tum de cæli converſionibus, de ſiderum motu ac lumine, de primis corporibus, & quod magis utique vacabat, de virtute, fortitudine, temperantia, juſtitia, æquitate, ceteriſque diſſerere, quæ ubi pectore recepta eſſent hominum, inhoneſto, inutilique adfectu depulſo, eoſdem juris, legum, Urbium, latiſſimarumque regionum ſanctiſſima communitate devincerent, ab immani & fera

vita

vita ſegregarent, humanamque conſtituerent ſocietatem. Eſſe itaque Philoſophiam, uti Plutarchus olim ait, (*a*) moleſtiarum animi morborumque ejus unam ac optimam Medicinam; per eamque licere noſſe quid honeſtum, quid turpe, quid juſtum, quid iniquum: brevi quid expetendum, aut fugiendum: quemadmodum erga Deos, uti ajebant, immortales, quemadmodum erga Parentes: quî erga majores natu, quî erga leges, quî adverſus Magiſtratus, quî adverſus alienos, quî adverſus amicos, quî adverſus conjuges, quî adverſus ſervos nos gerere debeamus: Deos, inquit ille, ut colamus, parentes ut veneremur, majores natu revereamur, legibus pareamus, Magiſtratibus audientes ſimus, amicos diligamus, caſtè cum conjugibus agamus, pietatem in liberos exerceamus, nec ſæviamus in ſervos, quodque caput omnium eſt, rebus ſecundis ut non exultemus, neque nimium animum contrahamus rebus aſperis, neque in voluptatibus geſtiamus, neque exardeſcamus in ira efferative ſimus, quibus equidem bonis, quæ ſuppeditat Philoſophia omnibus antiquius nihil eſt. Horum verò intimam originem atque

(*a*) *De inſtituend. Liberis.*

que rationem, è Metaphyſicis peti univerſalibuſque mentis notionibus, unde naturæ juris ac Gentium doctrinam Metaphyſicæ adſerendam nonnulli contendant, ex eoque rem hujuſcemodi demonſtratam autument, quod Grotius ac Pufendorfius, tali de jure opera ediderint elaboratiſſima, quæ nec intelligi quidem poſſunt, neque perfici potuerunt abſque altioris ope Metaphyſices; quodque Joannes Henricus Boeclerus dixiſſe narraverit Grotium, haud potuiſſe ſe, unius niſi ope Metaphyſices, de belli jure ac pacis aptè ordinatèque tractare. (*a*) Ut itaque è primis rerum notionibus corpora conſtituentibus, ad quas per abſtractas adſcendimus ideas, exque perfectiſſima modo Metaphyſices comprehenſione, claram diſtinctamque particularium rerum, de quibus in Phyſicis ſermo eſt, haberi poſſe cognitionem arbitrati olim ſunt Malebranchius (†) & Bælius: (*) ita ex abſtractiſſimis etiam virtutum vitiorumque notionibus, officiorum vitæ rationem naturamque oriri ſtatuunt poſſe, atque dignoſci; aut potius, uti conſtantes, æternæ,

M m im-

(*a*) *In Erid. Scand. ap. Puſendorf.*
(†) *Lib. II. de Verit. indag. Part. II., Cap. 9.*
(*) *Epiſt. ad D. Lenfant.*

Digitized by Google

immutabileſque linearum ideæ, ſuperficierum, totiuſque trinæ dimenſionis in omnem formam porrectæ, quas mens humana poſſidet atque conſiderat, foras tandem erumpunt, ad univerſamque deinde applicant ſe ſe naturam corpoream, quatenus in ſeipſa apparet & extat, ut quorumcumque effectuum intrinſecas promant cauſſas, atque rationes; ita conſtantes, æternas, immutabileſque ordinis, juſtitiæ, æquitatis, bonitatis ideas, quæ hominum in mentibus certiſſimè exiſtunt; efficere demum poſſe naturæ leges ac ſocietatis; & eas quidem, quæ poſſibiles, quæ honeſtæ, quæ hominum ingenio eſſent ac conditioni accommodatæ.

XXI. Alii non ab Philoſophia, ſed a natura ipſa originem ac vim eruunt officiorum vitæ ac ſocietatis; eſſe itaque ſtatuunt naturæ jus, quod nobis non opinio, ſed innata quædam vis affert, ut juſtitiam proſequamur, fidem, pietatem, eadem veluti liberalis ac ſagax omnium parens ſemina in animis hominum conſperſerit, ſeu incunabula quædam & elementa virtutum, quæ connato potius impetu, quam rationis cultura venirent ad frugem, ſuaque potius vi ac natura magis, quam ordinata diſciplina ac

con-

conſuetudine ad meſſem albeſcerent : Hiſce verò paſſiones eas , quibus humanus animus aptè commoveri ſolet , ſapientiſſimè addiderit, perpetuum præſertim mali metum, vitæque utilitatem ac neceſſitatem, quibus mortales acti oppida moliri inciperent, publicaque privatis ſecernere, ſacra profanis ; concubitu prohiberent vago , jura maritis darent , ceteraque firmarent naturalis vincula ſocietatis. Ea itaque ratione , qua & volucres pæne omnes faciunt matrimonia , & paria jungunt, & nidos ſuos , tamquam geniales toros concordi mente defendunt , & fœtus ſuos, quia certi ſunt, amant; & ſi alienos objeceris abigunt , hominumque iras timent , ea maximè Bruta , quæ humaniora audiunt, & cum hominibus inſolitariam vitam agunt: quem equidem timorem, ſylveſtribus, utpote ſupervacaneum, natura non indidit : ita bellè adeò comparatam etiam eſſe hominum naturam , ut non jucundiſſima modo , verum etiam utiliſſima vitæ ac honeſtiſſima ſocietas iniretur , & ne genus humanum aut temporis longinquitate occideret, aut inhumanos immaneſque in mores improbè dilaberetur. Vetuſtiſſimos itaque mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine

probro, ſcelere, eoque ſine pœna, aut coërcitionibus egiſſe definiunt, neque præmiis opus fuiſſe, quum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil præter morem cuperent, nihil per metum fuiſſe vetitum. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio, vis, fraudeſque inceſſere, proveniſſe dominationes: multoſque apud populos manſiſſe æternum. Quoſdam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluiſſe: quas primò rudibus hominum animis ſimplices fuiſſe, maximeque celebraſſe famam Cretenſium, quas Minos: Spartanorum, quas Lycurgus: ac mox Athenienſibus, quæſtiones jam & plures Solon perſcripſit; (*a*) Eaſque Romanis latas, quas imperantium licentia ac libido variè permiſit, omnes tamen iis imperfectiores, quas parens optima natura indidit ac præmonſtravit. Ut enim ſapientiſſimè ajebat olim Jacobus Jacobettus, (*) niſi producat hominem natura irata, & infenſa naſcenti, initia virtutum indidit. Factum natumque hominem ad uſum rationis, præparaſſe etiam, ait, ut rectè utatur: ergo inductione & anticipatione naturæ

(*a*) *Tacit. Lib. Annal. III.*
(*) *Orat. ad Ethic.*

ræ cognoſcere, eſſe honeſtatem recipiendam ſibi, turpitudinem repudiandam: naturali quoque inſtinctu, quem non reprimat ac retardet nequitia perdita, ſibi appetere conſentanea, diſſentanea declinare: inter res appetendas unam aliquam præſentire eſſe, in quam voluntas, ut in bonum perfectum finemque ultimum, natura incitante feratur. Hanc proclivitatem bonitatemque congenitam, hos igniculos & ſcintillulas, appellari naturæ lumina, præmonſtrantia, quid ſequendum, quidve fugiendum in vita ſit: quare nobis quodammodo ineſſe mores a natura, & omnes a natura id accipere, ut aliquatenus juſti, fortes, ac temperantes ſimus, cum primum naſcimur. Longè quidem innatam virtutem a parta diſtare, ut ab abſolutione ingentis operis leviter tantum adumbrata initia diſtant: at interim naturam oriendi principem, & anxiam urgendi id, quod in partem induſtriæ doctrina aſſumta, & honeſtarum actionum frequentia tamquam manu ſuprema admota, fiat juſta virtus, exquiſitè elaborata ad formam ſuam. Cupiditatem illam ſanè nobis injeciſſe veri ubique videndi; dediſſe ingenium avidum, ſemperque paratum nova & admiranda ſitire:

re : proinde ad diſciplinas, & artes omnes exſuſcitaſſe ipſam nos , & ad indagandum perquirendumque nos exacuiſſe inexplebili voluptate diſcendi: ceterum neque tam præſentem exſtimulare nos , neque tam ardentem ad quodvis cognitu perceptuque pulcherrimorum, quàm ad rimanda & deprehendenda officia Viri boni. Quæ in rerum univerſitate ſcitè ingenioſèque molita eſt ; quæ cælo, aëre, terra, aquis artifex planè artificioſa creavit, nos in omnia luſtranda mittere hæc : nolentem ire tamen neque vellicare, neque objurgare : cunctantem autem in veritate noſcenda morum pungere , & trudere verſum ad illam : ad quidquid allicit hominem contemplantem, aut agentem efficientemve, animadvertere vix naturam, incurioſus an diligens ſit : in bonitate verò intelligenda oſcitantem & dormientem impellere ; & in ſe monentem convertere ultro; ac, ne longa via , hominem convertere, & demittere in ipſum. Quamquam enim neque deſcenſus in intima ſua caret labore multo, quippe ſtruendus per impedita; ſemperque difficile fuit , in magna caligine circumfuſa, jura naturæ ibi recondita pervidere: ſed tamen opus interea nemini, dum ſe

per-

pertentat & excutit, neque in longinqua diſcurrere, neque abire in ſolitudines, neque patrimonia deſerere, neque corpus deſpicere, non membra mutilare, non oculos ſibi effodere, non ſequi dura & dira alia, ut quoſdam feciſſe traditur, quo expeditius & intenſius extra ſe poſita, & paſſim diſperſa mundo in magno ſpecularentur. In nobis naturam id incluſiſſe, cujus quærendi eſſet ipſa auctor ſuaſione vehementi: in quo oportere hominem eſſe maximè intelligentem, id omninò ſubjeciſſe mentis oculis, ſi quidem adverteret: atque in eo proviſionem quamdam non tritam fuiſſe. Quum enim ita bonitate omnes indigeamus, nulla ut noſtra & propria vita dicenda ſit, quæ non ducatur ex bonitate, & ad bonitatem referatur; ea comparanda, conſtitutam in nobis deditam operam eſſe, ne aut procul diviſam intervallis, aut receſſibus valde ſummotam, aut per detrimenta fortunarum, vel damna corporis conquiſita, concurſatione, laſſitudine, ſumtu, & jactura exhauſti, illam aſſequuti rediremus. Compotes equidem ne hujus quidem eſſe poſſe nos ſine diſpendio magno: arduum eſſe probum, ſemitam tenuem: veſtigium lubricum, labendi

di modos innumerabiles : veruntamen haud ita rumpi nos , abſumique , uti contemplatores fermè reliqui , dum anhelant ſicci & aridi , fugientia venantes ; triſtes & enecti fatiſcunt , ut meditando rimandoque in illa perveniant , quorum non eſt in homine prænotio naturaliter aliqua . Non enim natura Phyſicum , non Mathematicum ; non Metaphyſicum , non ſapientem aliter , ſed ex una induſtria eſſe : intelligendi ad hæc conceſſam meram recipiendi facultatem , raſam alioqui nudamque tabulam : Ethicas autem notas conſignatas jam firmiter , ſtabiliterque : quas nimirum neque oblivio corrumpit , neque excludit incredulitas diſciplinarum labes illæ duæ , obſtructus aditus a non credentibus , quæ docentur , datus abitus a non ſervantibus , quæ didicere : quare oblivionem , ſcientiæ exitum vocaſſe Platonem in Sympoſio ; & oportere diſcentem credere , admonuiſſe eumdem in Gorgia . Principia è diverſo naturæ moralia non aboleri , non permutari , non priora interire , non nova ſuccedere , non evaneſcere alia , non ſurgere alia : eſſe homines ſecundùm illa ſemper eoſdem volentes , nolentes reminiſci , & recognoſcere : non loca , non tempora , non

res ,

res, non cogitationem, non actionem humanam eſſe ullam, quæ non revocet nos ad uſus eorum: quamvis dormientes nihil differant boni a malis; bonos tamen in ſomniis meliora ſomniare: non expungi, nec obliterari naturæ diſciplinam, niſi ſi fortè ingruat deterius aliquid miſeranda lue illa, quæ gravius coorta quondam, quam ut natura humana ferre poſſet, ſic invaſit in vitam hominum, ut mentes etiam oblivione rerum omnium inobſcuraret, ut neque amicorum, neque parentum, neque ſuimet, ferali morbo impliciti recordarentur. Non eſſe itaque liberum nobis repugnare naturæ docenti, eique non credere: attamen in libertate reſiſtendi, ſi aliqua eſſet, neminem fidem minus habere propter quidquam eorum, quæ abrogant, aut infirmant docentibus aliis: non ludificationem futuram fuiſſe ſuſpectam ex inconſtantia, non in contraria divulſas partes facturas auctoritatem leviorem; non lites rixaſque diſſidentium relicturas ancipitem & incertum; non turbas inconditas, & pugnas agreſtes averſuras alio, conjectantem probabiliter, eſſe deliramenta contentioſorum nugaſque futilium: nam hoc etiam nomine haud defuiſſe cenſores rigidos,

 auda-

audaceſque ſophiſtas, qui univerſum diſciplinarum genus commercio exturbarent, & ablegarent in crucem malam inuſtâ ignominiâ vanitatis. Senſus & voluntates hominum, qui nunc ſunt, & umquam fuerunt; gentium & populorum omnium inſtitutionem perſuaſionemque; placita & effata de bonis & malis per immenſa locorum, perque infinita annorum ſpatia ad nos trajecta; veterrimam Philoſophiam, & pæne æqualem habitam mundi exorti; Philoſophicas ſectas & familias rudis originis & incomtæ, utcumque ratiocinatas aliquid de vitiis, ac virtutibus; has deinde ſubſequutas ubivis terrarum per tempora quævis ad hæc uſque noſtra, omnes concordiſſimè conſtantiſſimèque, nullo contradicente, decernere: eſſe turpe facere turpiter, laudabile laudabiliter: ita namque naturam determinaſſe, & ſic efflagitaſſe, ut adverſari impunè non liceat. Inſidere enim homini, hærereque in pectore cuſtodem appoſitum, & vindicem additum rationis naturalis illius, quam ante commemoratam eſſe conſtat legem tranſcriptam ex lege æterna, infixam & quaſi inſculptam in animo, jubentem ac vetantem judicio ſcitoque inviolabili. Principia ſuper-
nè

nè illapſa ex ratione illa ſumma, certiſſima & immutabili imperandi prohibendique ſapientia divina, inſcripta & impreſſa menti noſtræ, collecta conſervare habitum ab conſervandi officio ſynderefim nominatum, nos inclinantem ad conſentiendum principiis primis iis, nec aberrandum inde unquam. Vigilem aſſiduum, excubitoremque alium adſtare, cernentem acutè intelligentemque ſubtiliter in diſſentientem, aberrantemve a ſcientia cordis, ad quam applicat agentem hominem, ſcilicet conſcientiam, ſtatuentem in partem alterutram vel contra illum, vel pro illo. Sontem citare de tribunali, ac veluti unco impacto raptare in jus: triſtem & exulceratam obmurmurare, expoſtulare, terrificare, cruciare, exanimare, ipſam actorem, teſtem ipſam, ipſam judicem, carnificem ipſam. Has illas furias, hæc illa ſupplicia, latratus laniatuſque conſcientiæ iratæ. Jam, ſi quodcumque natura improbat, in eo contriſtat obnitentem; etiam declarare voluntatem probantis jucunditatem illam, quæ obſecundantem conſequatur. Bene conſcire præſcriptis internis; ita agere & cogitare, ut ad ſecretam amuſſim explorati ſimus æquales; arcano teſte, ac judice ſic

 lau-

laudare in omnibus factis, dictis, conſiliiſque noſtris, ut locus querelæ ne clam quidem oſtrepenti relinquatur: hæc illa ſcilicet gaudia, hanc ſolidam germanamque lætitiam, quam contaminat adverſitas nulla, vis nulla debilitat, firmam, incorruptamque inter peſtes, interque dolores: conſcientiæ probæ viſile robur, rationem ſanam & integram, intactam & illibatam Philoſophiam, primævam, naturam ſcilicet, cujus documentis percolitur homo, ut ſit aptus ipſe ſibi, & ſocietati civili etiam accommodatus. Enimverò nihil obſtare ajunt Veterum auctoritatem, quorum in ſententia tot populi moribus efferi audiunt, inhumano cultu & fero, neque more viventes, neque jure, infandis humaniſque ſoliti ſacrificiis, ac inceſtuoſo concubitu, nihil juſtitiæ habentes, humanitatis nihil, nihil ſocietatis. Quis enim Veteribus credat Auctoribus, quorum hiſtoriæ ac effata tot ſunt erroribus, tot reſperſa mendaciis? Ecquis animo effingere poſſit ſuo, univerſi humani generis Religionem, ſenſus, ac mores probè calluiſſe paucos illos Scriptores Græcos atque Romanos, qui Gentes univerſas adeò poſthabuere, ut eorum ſententia, vera ignoraverint naturæ officia,

quum

quum & leges eorum & hiſtoriam ſuſdeque verterint, qui poſteriori ab ætate non adeò remoti fuerunt, qui Romanorum in Regionibus degerunt, eorumque ſub imperio vixerunt ac poteſtate? Scilicet hiſce ab Scriptoribus, Hebræorum de populo traditum, orta per Ægyptum tabe, corpora quæ fœdaret, Regem Ochorim adito Hamonis oraculo, purgare Regnum, & id genus hominum, ut inviſum Diis alias in terras avehere juſſum; (*a*) traditum & Planetarium fuiſſe Moſem; (*) ipſumque immane Judæis adverſus Gentes ceteras odium indixiſſe; eos verò nihil præter nubes & cœli Numen veneratos; (¶) quod ex ritu eorum ortum precandi ſub dio, aut è more jurandi per cælum, aut quod tempore quo ipſos inter Romanoſque & Græcos viguere commercia, Deum nomine Cælum etiam ſignificante appellarent. (§) (Hiſce ſimilibuſque de cauſſis, quot populi cæleſtium cultores corporum credi debuerunt!) Et non Cælum modo, ſed & Aſini etiam caput in Sacrario collocaſſe, adoraſſeque dicti Ju-

(*a*) *Tacit. Hiſt. Lib. IV.*
(*) *Strab. Lib. Geog. XIV.*
(¶) *Juven Sat. XVIII.*
(§) *Vitring. de Struct. Synag. Cap. I.*

Judæi; (*a*) ſuem denique magno pro Numine habuiſſe, (*) & Bacchi celebraſſe feſta, quum ſcilicet diem tabernaculorum agerent; aliaque ſexcenta, de quibus ne cogitavere quidem, quæque non apud Flavium modo referuntur, (§) ſed & apud Auctorem Tractatus de Phylolobolia. Quorum quidem errorum non una fuit cauſſa. Hebræos enim plurimum ſtuduiſſe, juxta primorum Sapientum providentiam, multiplici ænigmate, & velaminum varietate legis atque rerum arcana circumtegere, ne ab ſupercilio & profanorum inſcitia contaminarentur, ab Paullo Riccio diligentiſſimè demonſtratum habemus, inque Libris Thalmudicæ doctrinæ ab ipſo illuſtratis, quod in literaria ſchola tractabant Sapientes prodere nefas fuiſſe, abque Legis Doctore expulſum protinus eliminatumque diſcipulorum quendam, qui nonnihil arcani ante duos cum viginti annos literario in Cœnobio traditi prodiderat. Optimè demum Vormio animadverſum de corruptis antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem Libris,

(*a*) *Svidas in* Δαμόκριτος.
(*) *Plutarch. Lib. Symp. IV., Petron. in fragm.*
(§) *Lib. II. contra Appion.*

bris, Scriptores Græcos Hebræorum linguæ utpote ignaros, res quoque nationis illius ſacras neceſſariò ignoraviſſe.

XXII. Chriſtianorum verò de moribus ac placitis differentes, quot erroribus, fabuloſiſque mendaciis Romanorum præſertim paginæ ſcatent! Quinto licet æræ Dionyſianæ ſæculo noſtra Romanum per Orbem ubique vigeret Religio, Claudius adhuc tamen Rutilius Numantianus Judæos ab Chriſtianis diverſos eſſe ignoravit, inque illos dum eructare contumelias perrexit, iſtos impetebat neſcius, ejus etiam ſententia numeroſiſſimos. (*a*) Nec tamen illis hoc in loco de mendaciis actum, veterumque primores in Chriſtianos calumniis, quas conlegit Kortholtus, oppugnataſque legimus in ſcriptis Patrum atque vindiciis, aut quum noſtrorum hoſtes agerent Gentiles. Potius verò eorum qui hiſtoricè indifferenterque ſcripſèrunt ſupinitas cæcitaſque miranda eſt. Scripſit Hadrianus Cæſar ad Servianum Cos. epiſtolam, in qua Serapis cultores, ait, eſſe Chriſtianos. Serapi, inquit, devoti ſunt, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt: Ipſe ille Patriarcha, quum in Ægyptum venerit, ab aliis Sera-

(*a*) *Caveus Hiſt. Liter.*

Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum. Quis autem hanc Hadriani ſententiam conſequitur? omnia certè hîc confuſa, atque turbata; Hadriano tamen vel malè intellecta, vel ab aliis perſuaſa ignorantibus. Quod eo mirandum magis, quod ex Hiſtoria lucidè conſtet, fuiſſe Hadrianum ſcientiarum cupidiſſimum, cui & in Ægypto commorato copia fuit in Religionum illarum differentias diligentiſſimè inquirendi. Vivebant ſtupendo numero Chriſtiani omnibus in imperii Romani partibus, publicas habuere ſæpenumero ipſo ex Imperatorum edicto ædes, in quibus ſacra ſua peregerunt, vicinis ſuis minimè ignotas, & tamen nihilominus Scriptores illius ætatis tanta ſæpe cum ignorantia, eorum de Religione, Religioniſque actibus diſſeruere, quanta in exteris longeque diſſitis populis culpanda foret. (*a*) Itaque ſi in Hebræorum, Chriſtianorumque rebus, qui non adeò fuere eorum ab ætate remoti, verum aut ditionibus eorum contermini, aut eorum ſub imperio ac poteſtate, tot veritati, factiſque adverſa tradidere Græci Romanique Sriptores, mendaciores utique eos exiſtimemus

ne-

(*a*) *Vitring. de Ref. Synag. Lib. II.*

neceſſum eſt, de Indis loquentes, veteribuſque Ægyptiis, atque Chaldæis, ceteriſque primævæ ætatis hominibus, quorum nomen, uti ad noſtras, ita vix Romanorum Græcorumque pervenit ad aures; antiquiſſimos iccircò homines adeò extra naturalis officia legis, & ſocietatis fuiſſe mores, poſſibile non eſſe.

XXIII. Ægyptios ſororum amoribus conjugiiſque fuiſſe implicatos, cumque his paſſim matrimonia, legibus præcipientibus, iniiſſe adfirmat Diodorus; (*a*) quod tamen falſitatis arguit Abrahami in Ægyptum deſcenſi olim hiſtoria; (*) Gerariſque Regem Saram tuliſſe legimus, quod uxorem numquam crediderit Abrahami: (†) quæ teſtimonia vetiti ſunt ceteras etiam apud Gentes adulterii, atque ordinatæ legis conjugiorum. Pro Romanorum etiam moribus humana obtinuiſſe ſacrificia tradidere nonnulli; quod apertiſſimæ falſitatis arguitur; quum enim malignitate Q. Fabii Pictoris Delphos miſſi ſciſcitatum, quibus precibus ſupplicationibuſque Deos placare poſſent Quirites,

(*a*) *Lib. I.*
(*) *Gen. XII.*
(†) *Gen. XX.*

& quænam futura finis Romanis cladibus foret? exque fatalibus libris, Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario ſub terra vivi demiſſi eſſent in locum ſaxo conſeptum, ait Hiſtoricus: ante hoſtiis humanis minimè Romano ſacro imbutum. (*a*) Sic Catonem Martiam Uxorem amico dediſſe, & Socratem Xantippem, alioſque id ſæpe factitaſſe traditum, quod Uxorem, quam quis duxiſſet, etiam ſublatis liberis, alteri dare uſuariam, ex qua liberi gignerentur, moxque illam vendicare, pro Romanorum, Græcorumque legibus permiſſum eſſet: quæ tamen morum licentia, ac effrenata vivendi libido ad Tyrannorum ævum referri debet, infauſtis illis etiam temporibus inſolita prorſus, atque extra decorum & naturam habita. C. enim Pompejo Quintoque Veranio Coſs. jam fama, jam amore illicito formabatur pactum Claudium inter & Agrippinam matrimonium, nec dum celebrare ſolemnia nuptiarum audebant, nullo exemplo deducta in domum Patrui fratris filia. Quin & inceſtum, ac ſi ſperneretur, ne in publicum malum erumperet, metuebatur. Verum ut naturæ rubor everteretur, Senatus decreto, juſtæ

(*a*) *Liv. Lib. XXII.*

Digitized by Google

juſtæ inter Patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in poſterum, tunc primum ſtatutæ ſunt, (§) ea ſcilicet ratione, qua Ptolomæus Ægypti Rex, ut ſororis, quam miro amore deperibat, conjugium ſortiretur, ſuamque libidinem expleret, paſſim id licere permiſit, omnibuſque tum primo conceſſum voluit, & matrimonii velamento obnubilatum, quod natura docente, dirum antea facinus, ac nefariæ turpitudinis erat nota. (*) Perpendenda itaque ſatius Hiſtoricorum teſtimonia, quam enumeranda; nam & falluntur, & fallunt, & honeſtiſſimos etiam populos ita poſteris exhibent, ut perditiſſimis videantur moribus, abque omni juſtitia æquitateque remotis; nam & rumores vani fabuloſiſſimis narrationibus ortum frequens dare ſolent, & Scriptores aliqui exagerantibus uti, unde populos aliquos luxui ac voluptatibus, vel adnotam contra legem, rectaſque adverſus ideas, indulgentes, exleges dicant, inhoneſtate laborantes, ac inhumanitate: ea ſcilicet ratione, qua Europæus, & quidem Chriſtianus Scriptor, Anglorum de honeſtiſſima gente, ſolitos eos apertiſſimè tradidit, noſtris prope temporibus, in amoris,

(§) *Tacit. Lib. Annal. XII.*
(*) *Alex. Neap. Lib. I. Cap. 24. Gen. dier.*

atque amicitiæ teſſeram, non pati modo, ſed amicos ultra hoſpiteſque deprecari, ſuis ut cum uxoribus amicè coirent, iiſque ad libidinem uterentur ac voluptatem; illudque ſuis apertè adeò fidenterque retulit in libris, ac ſi eos in Inſula habitare dixiſſet. (*) Enim verò veterum de ſynceritate Hiſtoricorum eſſe dubitandum, apertiſſima eorum docent teſtimonia; quis enim non dubitet, quum de rebus, actiſque quæ tradenda ſuſceperant, vel ipſi dubitaſſent Hiſtorici? Agmina en ducit Herodotus, qui Sacerdotibus de Chaldæis ait: Narrant enim illi, tametſi mihi parum credibilia referre videntur, Deum videlicet ipſum Templum ingredientem, in hoc cubili ſcilicet Sacelli, conquieſcere, proinde atque Thebis Ægyptiacis: eumdemque ad modum in Thebani Jovis fano, ſi modo Ægyptiis fides habenda erit, mulier quoque cubare creditur. (*a*) Diodorus verò Siculus, Ægypti de Regibus verum ſcrutari perquam difficile eſſe adſerit, ſeque ea quæ Scriptores retulerunt, referre: deque Bove Api, qui ſanctiſſimo venerabatur apud Ægyptios cultu; multa, inquit,

(*) *Chalcond. Lib. II.*
(*a*) *Lib. I.*

Digitized by Google

inquit, alia de Api fabulantur, quæ longum eſſet ſingulatim referre. In primis enim fabulis, ſubdit, nulla omninò ſimplex, & per omnia ſibi conſentiens eſt hiſtoria, proindeque minimè mirandum, ſi in antiquitatibus illis recognoſcendis, cum Poëtis & Scriptoribus aliis non omninò convenit. (*) Pauſanias hæc quoque: Cuculum verò avem iccircò ajunt impoſitum, quod Virginis Junonis amore captus Juppiter, in eam ſe avem verterit, quam puella tamquam ludicrum captavit. Hæc ego, ſubdit, & quæ his ſunt ſimilia de Diis vulgata, etſi vera neutiquam exiſtimo, non putavi tamen negligenda. (§) Equidem plura tranſcribo quam credo, ajebat Curtius, nam nec adfirmare ſuſtineo de quibus dubito, nec ſubducere quæ accepi. (*) Cujus dicti in Commentario verba adducit Frehinshemius Livii, Taciti, Svetonii, Eliani, Dionis Caſſii, iiſdem qui cum ſenſibus hiſtorias conſcripſere. Immò ut plurima Veterum legimus in hiſtoria inhumanitatis & inhoneſtatis exempla, ita plura ajunt juſtitiæ ſuppetere, ac honeſtatis, virtuti natu-

ræ

(*) *Lib. II. Cap.* 1. 2.
(§) *Lib. II.*
(*) *Lib. IX.*

ræ tribuenda, & non invalido humanitatis præſidio, priora verò ſuperadditis vitiis, & violatæ conſcientiæ. Minervam referunt fabulæ Pallantis filiam, patrem interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem: (*a*) Suntque qui Laurentiam Faſtuli uxorem vulgato corpore, ignominioſo Lupæ nomine Paſtores inter vocatam putent. (*) Æolus Tuſcorum Rex ex Amphitea filias ſex, mareſque totidem ſuſcepiſſe fertur; quorum Machareus omnium natu minimus, impatiens amoris ſororem compreſſit. Ex eo conceptus infans rem prodidit: Pater enſem filiæ miſit., quo puella mortem ſibi conſcivit, ejus paullo poſt exemplum Machareus ſequutus. (¶) Notum & illud de Spurina Tuſco, antequam Hetruſci Civitate donarentur, qui quum excellentis eſſet pulchritudinis adoleſcens, miraque ſpecie complurium fœminarum illuſtrium ſollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum ſe ſuſpectum eſſe ſentiret, oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque ſanctitatis ſuæ fidem eſſe maluit, quam formam alie-

(*a*) *Cic. Lib. III. de Nat. Deor.*
(*) *Liv. Lib. I.*
(¶) *Soſtrat. Lib. II. Rer. Tuſc.*

alienæ libidinis incitamentum. (1) Veteres Philippi milites Alexandrum, qui Perſico in ſolio totus a ſe abierat in vitia, palam averſabantur, totiſque caſtris unus omnium ſenſus ac ſermo erat, plus amiſſum victoria, quam bello eſſe quæſitum. (§) Perſæ demum aliqui licet aſſueſcerent pueris, uti Tiridati Artaxerſes, & Bagoæ Darius, Orſines tamen amicis Alexandri reſpondit, amicos Regis non ſcorta ſe colere, nec moris eſſe Perſis, mares ducere, qui ſtupro effœminarentur. (*) Jam diræ obſidionis extrema experiebantur Tyrii; quum Authores quidam fuere, ingenuus ut puer Saturno immolaretur. Aſt obſtitere ſeniores, quorum conſilio cuncta agebantur, ſacrilegium horreſcentes, neque humanitatem dira vicit ſuperſtitio. (*a*) Sunt utique ſingulis in nationibus ac populis, ex eo hominum genere, qui hoc nomine dignari non debent, quique humana ſub figura immanitatem gerant belluarum: qui tamen vi naturæ objicit, quæ perverſæ ſunt liberæque voluntatis labes, qua id tandem fronte, quo jure facit? Apud illos

(1) *Val. Max. Lib. IV.*
(§) *Curt. Lib. VI. Cap. 11.*
(*) *Lib. X. Cap. 3.*
(*a*) *Curt. Lib. II.*

los etiam, in quibus non humanitas modò, verum & divinæ legis clara apertaque traditio eſt, reperiuntur immanes aliqui Oſores, quorum tamen vitia uti externæ, ita neque internæ carentiam legis inferunt, atque conſcientiæ; immaniaque Indicis in conquiſitionibus perpetraſſe ſcimus adverſus naturæ jus & gentium facinora & ſcelera Europæos illos, qui Nuntios ſe dicebant legis pacis & gratiæ, uti de Meneſio illo Luſitano, memorat fide dignus Hiſtoricus, (1) qui Indicum Præſidem, pæne ſine cauſſa, brachiis poſt tergum revinctis, in littore deſtitutum, ferociſſimis duobus moloſſis objecit; quorum impetum ac dentes, varia corporis declinatione aliquandiu fruſtra evitare conatus; horrente ſupplicii fœditatem effuſa ex oppido multitudine; circumſpectare primo cœpit fugam: dein quum terreſtres omnes exitus milite obſeſſos cerneret; in mare ſe (quod ſupererat unum) ad incertam ſpem ſalutis immiſit: neque canes, quippe jam ineſcati, ab inſequendo abſtitere, pedibus tantum nanti, pone quum adhærerent; dolore ac deſperatione in rabiem actus, repente ſe ſe convertit; dentibuſ-

(1) *Maſ. Hiſt. Ind. Lib. X.*

buſque, horribile dictu, certare cum belluis inſtitit: atque ad extremum, unius aure mordicus apprehenſa, cum jam ſanguis vireſque deficerent, moribundus, moloſſum una ſecum ad ima detraxit. Atrox, ſubdit Hiſtoricus, & inhumanum id pæne genus haud immeritò viſum, eo magis, quod Luſitano ex patriis inſtitutis ac legibus gloriari licet, nullam gentium in homines damnatos mitiora exercere ſupplicia. Crediderim ego Europam tunc mœſtum geſſiſſe vultum, altumque animo preſſiſſe dolorem, quum Indicas opes tanta ſuorum inhumanitate, tantoque innocentum crudeliter effuſo ſanguine ſibi cerneret acquirendas. Nullus equidem populus Athenienſi fuit ingratior; nam & Theſea parvulo in ſcopulo ſepeliri, & Miltiadem in carcere mori, & Cimona paternas inducere catenas, victoremque Themiſtoclem victi hoſtis genua complecti, Solonem demum cum Ariſtide & Photione penates ſuos fugere immani barbarie coëgit, eos ſcilicet, quorum virtute & Marathon Perſicis lucebat trophæis, Salamiſque & Arthemiſium Xerſis naufragia numerabantur, prævalidiſque manibus exhauſta mœnia pulchrioribus operibus conſurgebant. Et tamen Athenis actio

erat adverſus ingratos conſtituta. Non itaque, inquiunt, ex oſoribus aut malefactis, adverſus leges, ordinatamque naturæ vim poſſe conſequi: eaque ratione, qua tot adeò falſa veterum de moribus ac natura prolata fuere, ſcilicet non Gygantes modò eorum aliquos fuiſſe, aliquos etiam Pigmæos, alios aliquibus in corporis partibus diverſa a nobis inſignitos forma, verum & Atheos eorum aliquos fuiſſe, viliſſimarumque cultores rerum, & legibus nefandiſſimis deditos: (ut enim humanæ res ſolent ſemper excedere modum, demum pæne nos oppreſſit nimia illa rerum inordinata congeries, quæ dicitur eruditio; poſtquam enim è tot Veterum dictis docti prodiere homines, ingenio uti, ac ratiocinari deſiere, fierique maluerunt alieni erroris acceſſio, quam ſibi credere, cognitionemque antiquitatis cum inæſtimabili conjungere libertate) ita detectis Americanorum regionibus, populos ejuſmodi, veluti ſine religione homines, ſine cultu, abſque ſcientiis, aut artibus, aut ordinatis moribus, abſque naturali lege ac ſocietate exhibuiſſe nobis mendaces itineratores illos, qui de novo, ut ajunt, Orbe ſcripſere; quique ac ſi nihil præter auditum ha-

habuiſſent, exigua mentis cura, nullo judicio, nullo delectu habito, homines illos quacumque nudare humanitate non erubuere, ſtatuaſque vix animatas, Barbaros appellavere, atque ſylveſtres, ſpurios naturæ fœtus, Brutis demum magis quàm rationalibus ſimiles ac Europæis: Hiſce verò narrationibus perfacile fuiſſe inſanientis Vulgi captare auram certum eſt, facilioremque apud indoctos invenire fidem; admirari ſcilicet homines ea, quæ magna ac portentoſa, quæ inſueta ac præter opinionem animadvertunt ſuam; quid enim hiſtoricæ veritati concedere, niſi ſibi tantum, Muſiſque canere? ſeria namque uti a profano abhorrent vulgo, ita abhorrere ab eis vulgus par eſſe, videreque ac deſpicere plebem, quod ſolitum, & intellectu facillimum; deperire verò admiranda, ac pro hiſtoriis fabuloſa: Fortaſſe etiam ita & ſe ſe habere rem arbitratos itineratores illos, quibus dum vix regionis alicujus oram legere datum eſt, tot fuit in animo de populis, quorum vel dialectum ignorabant, eorumque de inſtitutis ac moribus, opinionibus, religione fidenter adeò diſſerere, aut Atheiſmo: Quod in Ludovici Froii Literis, quas ex India ad Socios

Europam dabat, cognoſcere eſt, cui veniebat in mentem non ſine divini afflatus vehenti quodam inſtinctu majores olim ſuos tam acri ſtudio longinquam adeò peregrinationem expetiiſſe Japonicam; profectò enim, inquiebat, hæ gentes naturæ bonitate, ingeniique præſtantia, multis Europæ noſtræ (quod eorum pace dictum ſit) nationibus antecellunt. Quod ſi minus magnificè de Japoniis vel ſentiunt negotiatores Luſitani, vel prædicant; id nimirum iccircò fit, quod nonniſi cum populis maritimis negotia contrahunt, qui ab interioribus tantum abſunt vitæ cultu, morumque elegantia, ut præ iis ruſtici videri propemodum poſſint: itaque per contemtum ſylveſtres etiam vulgo a Meacenſibus appellantur, quum tamen alioquin ab humanitate ipſi quoque maris accolæ nequaquam abhorreant. (1) Verum eas itineratorum tenebras evertit demum æqua rerum judex ætas cum ratione conjuncta; nam & mitigatis invicem animis, immò per commercia conjunctis, non eandem modò in ipſis erga nos humanitatem, ſed & ipſa demum novimus ejuſdem ab natura indita religionis principia ac ſocietatis. Non ita-

(1) *Maſ. Epiſt. Select. Lib. IV.*

itaque, inquiunt, veteres adeò deſipuiſſe Philoſophos, ut innata humanitatis principia per doctrinas everterent, verum eadem perfeciſſe probè intellectos: Stoicorum doctrinam ea accipiendam ratione eſſe, qua Tuſculanis in Quæſtionibus eam tradidit Tullius, ac renatis Literis Lipſius: impoſuiſſe Magiſtro Ariſtotelem, dum informi illa Platonis de Republica dixit, neque ſomniaſſe umquam Platonem, quæ invidus ipſi Diſcipulus affixit; qua quidem de re vel Ariſtoteleum illum Tractatus de Regimine Principum Authorem ſuſpicatum eſſe: (*a*) Stagyritamque inanis gloriæ ſtudio adeò arſiſſe, ut omnium ante ſe Philoſophorum ſuſdeque verterit & effata & verba, ratum ſcilicet ſe tuto regnare non poſſe, niſi Odryſiorum more fratres omnes contrucidaſſet ſuos: De finibus bonorum & malorum optimè ſapientiſſimèque diſſeruiſſe Peripateticos; nam & alia dixiſſe bona animi, alia corporis, & illa hiſce præſtantiora, & utraque optanda, & in ordinata eorum complexione ſitam hominis felicitatem: è Peripateticorum verò doctrina duplicem in homine naturam, exindeque duplicem naturæ legem, promiſcuam ſci-

(*a*) *Lib. IV. Cap.* 4. 5.

ſcilicet, ac propriam, mentis alteram, alteram verò corporis, quarum ex harmonia & veluti vinculo, ratione tamen dominante, ortum naturæ jus ac gentium, ſtatuiſſe celeberrimos omnes ætatis noſtræ Philoſophos: Epicureos demum, ad formalem modo felicitatis cauſſam reſpicientes, optimo ſanè conſilio, eandem in animi tranquillitate locaſſe; quæ prædominantis adfectus integram per objecti poſſeſſionem quies eſt; Philoſophos enim ceteros humana de felicitate diſputantes, extrinſecas circa notiones vagatos, felicitatis illius efficientes quidem cauſſas adtingere relatè ad aliquos potuiſſe, ſecus verò formalem, quæ in ſola quiete, ac tranquillitate animi ſita eſt, quæque per accidens, uti ajunt, habet ſe, quod ab una, vel ab altera efficiente cauſſa procedat; quum enim homines diverſo utpote temperamento, indole, atque diverſa, ita ut dicam, præditi natura, diverſis agi debeant motibus, atque adfectionibus, ſequitur inde nonniſi diverſa per media pervenire eos ad animi tranquillitatem poſſe: plures iccircò ſtatuendas beatæ vitæ efficientes cauſſas; animi nempe tranquillitatem, quæ in aliquo per ſenſuum voluptatem eſt; in altero tamen ab honoribus,

bus, ab divitiis in altero, in aliquo etiam a virtute præſtari: aut potius Epicureos, quum ſummum dixere bonum in voluptate ſitum eſſe, non corporis, ſed animi voluptatem intellexiſſe, bonam nimirum conſcientiam, ortam è rebus honeſtis, ad quam, finem veluti ad ultimum, omnia referrentur: cujus acquirendæ cauſſa bene egiſſent, ac honeſtè; unde eſſet, quod ſe omnia dicerent agere propter ſe, honeſtati ſcilicet ſe totos dediſſe in amicitia, aliiſque cum privatis, tum publicis etiam negotiis; non quidem ut bene mererentur de aliis, ſed ut bonam conſcientiam acquirerent: Epicurum ipſum in Epiſtola ad Menicæum, vel in hominibus impudicam minuſque ſobriam damnaſſe voluptatem, nedum in diis atque cæleſtibus; laudaſſe eam ſolum, quæ capitur ex rebus honeſtis. Eandem itaque perpetuò eſſe, ſibique conſtare in omnibus naturam, nec umquam aliud naturam, aliud dixiſſe ſapientiam; indita ejus jura ſacra fuiſſe etiam apud Piratas, adeoque ab ipſa originem, fontem, ac vim eruendam ſingularium quoque vitæ officiorum ac ſocietatis.

XXIV. Hanc verò Dogmaticos inter, & ſive ex libertate, ſive ex Religione Scepticos

cos concertationem feliciter auferre conatus eſt Vir ætate noſtra magnus Stellinus præclariſſima in Oratione habita quum Ethicen tradere ingrederetur. Itaque principia illa, quibus eadem nititur, antea collocari in tuto oportere cenſuit; non ipſa re quidem id poſtulante; ſed hominum ſive ſocordia, ſive perverſitate: qui quum perſuaderi ſibi facilè ſinant, avidèque amplectantur ea, quæ libidini cujuſque favent, in iis, quæ cum ratione congruunt, & injiciunt fræna cupiditati, uſque eò difficiles & moroſi ſunt, ut his evidentia ipſa non ſatisfaciat. Multis autem id modis & fieri poſſe, & factum eſſe oſtendit. Siquidem, inquit, (1) ea principia duxerunt alii a natura hominis, quæ diversè definita a diverſis & circumſcripta eſt: alii a conſcientia ipſa, quæ quum in rectè factis magnam vim habeat, ſe ſe maximè prodit in iis, quæ ratione obnitente admiſſa ſunt: alii a convenientia rerum immutabili, atque ipſis penitus inſita, qua fit, ut altera alteri unicè congruat; quidam ab ordine æterno, quo ſingula a perfectione divina propagata nectuntur inter ſe: quidam a juſtitia, & ſanctitate Dei, quæ ſumma quaſi.

(1) *Epiſt. Nuncup.*

quaſi norma eſt, & lex virtutum omnium: nonnulli demum a cæleſtium corporum atque motuum temperatione, & modo, quam a Pythagora commonſtratam, explanatamque viam Plato deinceps ingreſſus eſt. Quamquam autem, fundamenta, inquit, poſteriora hæc repudianda planè ſint, tantorum tamen Philoſophorum propoſitum ejuſmodi eſt, ut ſi leviter inflectatur, non tutò ſolum, ſed aptè etiam teneri poſſit. Qui enim Ethicæ principia a notionibus acciverunt a populari ſenſu longè disjunctis, quæ nempe vi ſola mentis a ſenſu abſtractæ attingi queant, etiamſi vera proferant, & aperta iis, qui exprомptam intelligentiam habent, & corporis vinculis expeditam; plerique tamen, quorum eſt ſenſus magis, quàm animus exercitatus, ea vix adſequuntur, ac non raro etiam, qui ſe libidinibus dediderunt, quaſi commenta traducunt hominum otioſorum, quorum, cum tamquam Myrmecidæ quadrigas cogitata propter ſubtilitatem admiratus ſis, uſum neſcias, & contemnas. Quæ verò petuntur a natura hominis & conſcientia ipſa, vix quidquam loci apud eos habent, quorum adfectibus animi & moribus uſitatis obtuſa conſcientia eſt, ac depravata ratio.

tio. Quoniam igitur firmamenta principiorum horum, vel intus in homine ipſo quæſita, qui raro ſincerus integerque eſt, vel extra in iis, quæ procul a ſenſu recedunt, atque ſubtilitate ſua mentes tardiores levius feriunt, quam ut eas commovere poſſint, peræque ad omnes accommodata non ſunt, reliquum arbitratur eſſe, ut aptè quærantur in ipſa natura rerum, quæ ultrò obverſatur oculis, & ſe conſtanter promit eamdem: ut ex iis, quæ fieri cernimus in rebus illis, quarum in poteſtate non eſt ab ordine præſtituto deſciſcere, deducatur, quid iis item optimum factu ſit, quæ arbitrii ſui ſunt, & errare, & decipi poſſunt. Eam verò ad rem alia nulla prænotione opus eſſe ait, quam quæ mediocriter animum adhibenti patet; rerum nempe moderatorem atque parentem Deum, ad omnia rerum genera, quæ natura vigent, eamdem, quantum quæque ferat ac poſtulet, aptare legem debere, qua ſingula ad finem provehantur cuique proprium, quem ſimilem eſſe, non eumdem oportet omnium; ut ea nimirum, cujus eſt maximè capax univerſum hoc, in ſumma varietate ſimplicitas effloreſcat. Quia porrò nihil tam perſpicuum dilucidumque

eſt,

eſt; ut velo quaſi quodam non obtendatur opinionibus iis, quibus eſt quiſque obſeptus, & lux veritatis omnis abſumitur ita, aut diſtrahitur, ut ad animum uſque rarò pertineat; propterea ſepimentum id, quo rei claritas intercipi poſſet, antea quam ipſa proponeretur, ne vis ejus infracta diſſiliret, aut hebetata langueſceret optimo ſanè conſilio duxit Vir doctiſſimus ſemovendum. Atque quum ii ferè certitudini moralium principiorum adverſentur audacius, qui non incorruptè & graviter æſtimantes, quid rem quamque deceat, ſed animi fervore quodam exſultantes una alios a mente dimovent, & mira quadam in adfirmando alacritate captos opinione ingenii tenent; eapropter id argumentum excutit, quod ut popularius eſt, ita ad ſpeciem ornatum jactari crebrius ſolet; arreptumque ab hiſtoria generis humani fertur; quæ cognitio, quia ſuppeditata videtur a re ipſa, ſincerior habetur, animo nihil omninò afferente de ſuo. Atque ut in Phyſicis rebus dux & arbiter optimus is eſt, qui ſe ſe in adyta naturæ penetrat experiundo, deque ea ex ipſa judicat: in moralibus item ex iis, quæ vulgo fieri vident, elici quidam debere autumant, quæ facien-

da ſint. Quæ porrò fiunt, varia quum ſint, ac ſui diſſimilia, nihil eſſe, quod unicè fieri deceat, glorioſè prædicant: Quod quam abſurdum ſit ac nefarium multis oſtendi ait poſſe: ſibi verò non ultra tendendum conſtituiſſe, quam ut illud ineptum prorſus eſſe ac fatuum argumenti genus oſtenderet, ut mirum ſit extitiſſe homines, ingenii laude florentes, qui non momenti modò aliquid illi tribuerint, ſed etiam tamquam excellens unum ex omnibus inculcarint. Nam ſi quæ agunt homines, ex uno dumtaxat agendi principio fluerent, eodemque neceſſario, rectè ex actionum ipſarum diſſimilitudine confectum fatetur iri, eſſe nihil præſcriptum unum omnibus, ſed varios ad varia factos, & a natura delatos quemque ſua. Verum in hos quum multa conveniant, quæ variè quodammodo permiſceri poſſunt, & altero occupato otiari alterum, vel inæqualibus omnia, paribuſque niti momentis, quamquam eadem omnium natura ſit, poſſe tamen egregiè ait quemque ceterorum, ſuique etiam ipſius eſſe diſſimilem. Quo enim quidpiam compoſitiùs eſt, eo ferè magis eſſe varium ſolere: quare majorem eſſe in iis diſſimilitudinem, quæ prædita ſenſu ſunt,

ſunt, quam quæ tantummodo aluntur infixa ſolo: omniumque in iis maximam, in quibus & ſenſus ineſt, & ratio; atque in eodem genere diſſimilitudinis varios eſſe quaſi gradus; nam ut quodque maximè facultates habet, idem ita ferè eſſe diſſimilimum. Quamquam autem tam multæ, tamque diſpares inter ſe vires hominibus a natura impertitæ in cauſſa ſint, ut vita nobis agenda difficilis obtigerit; contrarias enim in partes diſtrahimur; & interdum ab eo, quod eſt in nobis divinum, ad meliora ducimur, interdum ab eo, quod brutum eſt, ad pejora devolvimur: varietatem illam tamen, quæ ab eo fonte profluit, indicio non eſſe, quid reipſa natura velit, ſed ea quid impedire planè nolit, neque poſſit, quin inconſtans ſit, earumdem facultatum inhibens uſum, quibus uti cuique dedit arbitrio ſuo. Neque verò quia nullam ipſis vim afferat, iccircò nihil imperare omninò ac prohibere: Immò quum ei providentius obviam eundum ſit, quod in perturbationem vergit pronius; quo plura in nobis, interque ſe diverſa ſunt, quæ præpedire ſe mutuò queant, eo neceſſe magis eſſe legem quamdam nobiſcum una extitiſſe, quæ rectè univerſa com-

po-

ponat, extremumque unum ſtatuat, quaſi ſignum quoddam, quo ſingula tendant, ac ſeipſa colligant. Quæ lex, quum non vi aliqua cæca urgeat, qua cieri ſolent expertia rationis, ſed animum dirigat, eumque colluſtrans moveat, ſi fortè hic aut ſtrabo, aut averſus ab ea ſit, diſtortam ipſam videt, aut planè nullam: ſi verò intendatur in eamdem, & ſe illi præbeat incorruptum, non magis homini naturale eſſe intelliget, ut lucis, aëriſque ad oculos, ad aures appulſu coloris afficiatur ſenſu, ac ſoni, modò mens adſit corpori nulla vi morbi impedito, quam ut agnoſcat, nullum eſſe unquam commodi ſui cauſſa lædendum, nullo unquam tempore ſibi plus æquo indulgendum, modò mens contra abducatur a corpore, ipſaque ſana ſit. At quum id multi perraro faciant alio avocati conſuetudine vitæ, vel occœcati cupiditate, ex eo plerumque accidere ſubdit, ut ne conſcii quidem ſint ſibi legis ejus interioris, quæ rectè facienda præſcribit, & rectè facta jucundiſſimo fructu munerat incorruptæ ac ſolidæ voluptatis. Quamobrem quum vis conſcientiæ non a natura modo, verum a nobis etiam ex parte pendeat, ſi quopiam omittente quod

eſt

eſt ab ipſo præſtandum, ac impedimenta plerumque inferente, ea ſe non exerat, minimè conſequi demum docet, ut ad eamdem nihil omninò fuiſſe pariter a natura conlatum, nullaque in animo ſparſa quaſi ſemina.

XXV. Itaque relatis copiosè iis, quæ Sceptici adferre ſolent, eiſdem occurrit optimus Author quam diligentiſſimè. Nam, inquit, (*) ex diſſenſione ea ſive populorum, ſive doctorum hominum inter ſe, nec non hominis ejuſdem etiam a ſeipſo (non enim pugnant magis inter ſe gentes, & Philoſophorum ſectæ, quam quiſque ſecum) ſi quis confici poſſe credat, nullum eſſe finem certum a natura ipſa conſtitutum, qui ſe facilè prodat animadvertenti, ac, ſi cernatur, mirabilem excitet amorem ſui, fateatur idem neceſſe eſt inferri peræque poſſe, nullam eſſe vim corpori, qua recta feratur, inditam, quod adſiduo incurſu, ac vario deflexum quoquo temporis puncto de via declinet, & anfractibus iter anguliſque ſubinde inciſum conſectetur: nullam eſſe lineamentorum conformationem aptam, venuſtatem coloris nullam oris huma-

(*) *Part. I.*

mani naturalem, quod ea ſpeculis variè figuratis, aptèque diſtributis decolorari mirum in modum ac deformari ſoleat: nullos in ſilice igniculos deliteſcere, quod indicium ſui neque luce, neque calore faciant, antequam extundantur, effractiſque repagulis exſuſcitati proſiliant. Et verò quid ajunt aliud, qui præfractè contendunt nihil eſſe certum, quo nos addicat natura ipſa, quia ſæpe libido prava quædam tranſverſos agat? nullas in mentibus eſſe noſtris bonorum ac malorum notiones convenientia quadam inter ſe conligatas, quia motibus illæ animi perturbatis diſtrahi crebro pervertique conſueſcant? nullas tandem in nobis eſſe quaſi ſcintillulas ingeneratas, quibus veri ſtudium, ac bonum accendatur, quia cupiditatibus adventitiis obvolutas elicere cogitando plerique omnes negligant? Non ajo id quidem nunc, ſubdit, intelligentias haſce reipſa in nobis eſſe quaſi conſignatas: unum illud adfirmo prorſus eos ineptire, qui concludant ex hominum ſtudiis diſcrepantibus eas eſſe planè commentitias; neque eſſe quidquam, quod indagatores iſti naturæ generis humani videantur indiligentius exploraſſe, quam quid homo ſit, quidve poſſit, res nempe varia, multiplex,

no-

notionum atque appetitionum infinitarum capax, qui rebus omnibus commodare ſe ſe, ſibique res omnes adoptare queat. Nam quum ex naturis ſit planè diverſis conflatus, ſenſuque & ratione polleat, quibus interpoſitis habere commercium poteſt cum ipſa univerſitate; tot illi adjumenta ſuppetunt, tamque multi patent ad obſequendum alteri, vel utrique proclives aditus, ut nullæ oris ac vultus diſſimilitudines eſſe tantæ poſſint, quanta opinionum atque ſtudiorum. Res enim longinquitate loci, vel partium exilitate vaneſcentes admovet oculis, & amplificat: longo temporum intervallo dejunctas adnectit, & comparat: rerum cauſſas exquirit, effectuſque vel evolutos ad eaſdem revehit, vel incluſos & abditos exculpit: quid ex quaque re voluptatis aut commodi percipi poſſit, experiundo cognoſcit, vel conjectando præſentit, ac proſpicit: extrinſecus oblata viſa componit, refingit, ornat arbitratu ſuo: quæ ſenſus prætervecta ſunt, ea cogitando revocat ubicumque collibitum fuerit; animique motus eoſdem earum cogitationum comites habet, quibus ad res ipſas, quum præſentes adeſſent, intendebatur: novas denique rerum, quæ nuſquam,

aut nullæ ſunt, formas procudit, eaque commenta circumveſtit natura quadam; & quod mirum ſit, non alio modo adfectus eſt erga ficta, quam quo ferri erga vera ſolet. Qui quum tam celeres ingeniorum ſint multiplicesque motus, nihil tam pronum eſt, quam ut omnigenæ proclivitates animorum ex altera parte reſpondeant: atque quum res & exiſtant, & fingi poſſint innumerabiles, quarum uſus excogitari poſſunt infiniti; innumerabiles itidem appetitiones exſuſcitentur neceſſe eſt; quas quum antevertant, & conſequantur incitatæ permotiones ſenſuum intimorum, ferè fit, ut animus, cujus mobilitas eſt, levitaſque ſumma, ſe huc & illuc ab iis temerè concurſantibus impelli ſinat. Anne verò quia facultatum, quibus uti, abutique poteſt, apparatu tanto præditus homo eſt, nihil erit propterea quidquam quod illum unicè doceat? nihil, a quo ſi declinet, ab immutabili natura rationali deflexiſſe dicendus ſit? Quia propter agendi, cogitandique ſolertiam, animal rationis particeps reliquorum omnium iniquiſſimum ferè immaniſſimumque eſt, nihil ne quidquam erit natura juſtum? nihil humanitati communi debitum? Quia demum pro-

pter

pter earum, quibus conſtamus, partium diſſidium, nulla ferè res eſt, quæ nos delectet diu, nihil ne propterea quidquam ipſum per ſe jucundum eſſe pronunciabimus, in quo permanere ſeque oblectare conſtanter omnes oporteat? Qui ita ſentiat, quidvis potiùs arroget ſibi, quam pervidendi vim, quæ rem quamque res conſequatur. Is enim æquè negare poſſet, ullum eſſe nobis aut vitæ tuendæ, aut virium jacentium reficiendarum appetitum ingeneratum, quia quis impotenti furore abreptus interdum ſibi ipſe mortem conſciſcat: vel in acerrimo quopiam defixus animi ſenſu ſtomachi ſtimulos haud attendat: vel ex offenſione aliqua vitioſa laborans a cibo etiam abhorreat. Hiſce verò latè explicatis, impedimentiſque iis, quæ fundamenta quærenti honeſtatis afferre moram aliquam poterant, inquirere Vir doctiſſimus pergit, quibus ea firmamentis nixa conſiſtant, quibuſque veſtigiis indagari, & notis internoſci certò poſſint. Quoniam autem nihil tam aut diverſum, aut a ceteris divulſum eſt, ut aliqua ſui parte cum altero quoque non connectatur, & congruat; neque verò notionum noſtrarum initia ſunt, & progreſſus iidem, qui rerum ipſarum,

ſed ita ſibi occurrunt è regione contraria, ut a poſtremis atque concretioribus exorſa cognitio noſtra ſenſim arrepat ad proxima quæque, ac ſerò demum ad ea provehatur, quæ prima ſunt ac ſimplicia: jamdiu receptum eſſe ait, ut quo planius intelligi quid, expeditiuſque perſuaderi poſſit, quod ipſum per ſe abſtractum ab aliis cognitionem haberet arduam atque difficilem, illius ea quaſi facies obvertatur, qua conjunctius eſt cum rebus iis, quæ cum maximè illuſtres, tum verò ſatis perſpectæ ſint. Quare quum mundi natura ſiderumque pulchritudo, & concentus ex diſſimilibus motibus ultrò incurrat in oculos, ac rerum tantarum magnificentia ex omni tempore ſolertiſſimos homines excitarit ad eas cauſſas inveſtigandas, ex quibus in ſumma varietate compoſitio tam admirabilis, & conſtans ordo duceretur; ex legibus iis, quibus univerſum hoc adſpectabile regitur, compertiſſimis, eas item intelligi leges, ac derivari perſpicuè poſſe, aptèque cenſet, quas & mundus rationalis eſſe fateatur ſibi præſcriptas, ac detractare ducat nefarium, ſi de naturæ opifice, atque gubernatore Deo pro dignitate ſentiat; quidve æternam ac ſummam ratio-

nem

nem illam, cujus eſt ipſe particeps, unum deceat, animadverterit.

XXVI. Ex ordine itaque cæleſtium rerum, ordinem infert actus inter humanos, comparatione inter adtributa animi & corporis planè Platonica cedreque digna, quem tamen ordinem abſque divino auxilio humanis in actibus exurgere poſſe negat, unde præcipuum Traditionis caput ipſe etiam amplectatur. Quocirca, inquit, (*a*) virtutem nedum eam, quam qui ſit aſſequutus, undique perfectus eſt, ac verè ſapiens, ſed ipſam illam primam, atque inchoatam, qua boni cives efficimur, aptique ad vitam communem, exoptare quidem poſſumus ac debemus, adſequi verò nequimus in tanta concitatione, & ſeditione cupiditatum, niſi præſentioribus, quam quæ natura noſtra præſertim ab origine ſua vitiata ſuppeditat, adjumentis inſtructi enitamur. Ceterorum verò naturalis juris principiorum neceſſitatem ejus è doctrina dignoſcas, qua morum & opinionum de rebus expetendis ortum atque progreſſum ex evolutione facultatum humanarum ducere conatur, quas converſiones, gradibus quibuſdam progreſſas facit, pro-

(*a*) *pag.* 42.

promovente facultate illa animi, quæ maximè expedita rerum potita eſt. (*) A rudi, inquit, victu, ac duro, quo robur alitur, ad eam vitæ rationem gentes deductæ ſunt, in qua ferocitas, & verſutia confligunt inter ſe, reſque vi peraguntur, & inſidiis impotenti furore communitis. A ferino ſtatu hoc rerum, quo dominatus occupari ſolent, ad eum porrò devehuntur, qui fortitudine nititur & prudentia; rebuſque partis tuendis, ac turbulentis ordinandis, accommodatus eſt. Hanc deinceps excipit optima Civitatis conſtitutio ea, quæ juſtitia regitur, ac devincta continetur legibus; & quum otio abundet, atque opportunitates maximas habeat ad opes augendas, excolendaſque artes, eapropter ad omnes vitæ commoditates atque jucunditates percipiendas imprimis idonea eſt. Otio verò confirmato, fortunis auctis, & vitæ commodis, ac deliciis multiplicatis cupiditas exaggerata laxare legum fræna nititur; ac juſti & æqui monimenta omnia concutit adeò, propellitque, ut æſtuantem cupiditatem ea continere minime poſſint. Hæc omnia Homericis è factis Stelliniana in Oratione probè confirmata ſunt, quæ

(*) *Specim. de Ort. & Progr. Mor. Cap. I.*

quæ Romanorum etiam ex hiſtoria peti potuiſſent; non enim ſignificari ſatis poteſt, quantum non ſui ſimilis poſt bellum Numanticum ac antea Populus fuerit Romanus. Et primis quidem temporibus, tunc ſcilicet quum gaudebat tellus vomere laureato, pulcher erat, egregius, pius, ut verbis utar Flori, (*a*) ſanctus, atque magnificus, poſtea ejus etiam judicio, degeneravit valde, creſcentibus ipſa cum imperii mole vitiis. Non olim tot civiles imagines, coronæ, clypei, curules ſedes, non ea, quæ paullatim invecta ſunt, poſtquam evaluit adulatio, nutareque cum morum innocentia Reſpublica cœpit atque libertas. Ex pulcherrima ſcilicet atque optima poſt Carthaginis excidium, & evolutis omninò humanis facultatibus, peſſima ac flagitioſiſſima facta eſt Reipublicæ facies, vitiaque adeò crevere, ut poſtremi tempore Principatus omnia demum contra naturam perpetrata viderentur. Ceterum, inquiebat Salluſtius, (*b*) mos partium popularium, & Senati factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romæ ortus eſt otio,

(*a*) *In Epit.*
(*b*) *Bell. Jugurth.*

Digitized by Google

otio, atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam, populus, & Senatus Romanus placidè modeſtèque inter ſe Rempublicam tractabant: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter civeis erat: metus hoſtilis in bonis artibus Civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus diſceſſit; ſcilicet ea quæ ſecundæ res amant, laſcivia, atque ſuperbia inceſſere. Ita, quod in adverſis rebus optaverant, otium poſtquam adeptiſcunt, aſperiùs, acerbiùſque fuit. Namque cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: ſibi quiſque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas parteis abſtracta ſunt. Reſpublica, quæ media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis ſoluta, atque diſperſa, in multitudine minus poterat: paucorum arbitrio belli domique agitabatur. Penes eoſdem ærarium, provinciæ, magiſtratus, gloriæ, triumphique erant: populus militia, atque inopia urgebatur; prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes aut parvi liberi militum, uti quiſque potentiori confinis erat, ſedibus pellebantur. Ita cum potentia, avaritia

Digitized by Google

ritia ſine modo, modeſtiaque invadere, polluere, & vaſtare omnia, nihil penſi, neque ſancti habere, quoad ſemetipſa præcipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti ſunt qui veram gloriam injuſtæ potentiæ anteponerent; moveri Civitas, & diſſenſio civilis, quaſi permixtio terræ, oriri cœpit. Nam poſtquam Tiberius, & C. Gracchus, quorum majores Punico, atque aliis bellis multum Reipublicæ addiderant, vindicare plebem in libertatem, & paucorum ſcelera patefacere cœpere: nobilitas noxia, atque eo perculſa, modo per ſocios ac nomen latinum, interdum per equites Romanos, quos ſpes ſocietatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ïerat: & primo Tiberium, dein paucos poſt annos eadem ingredientem Cajum, Tribunum alterum, alterum Triumvirum coloniis deducendis cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et ſanè Gracchis cupidine victoriæ, haud ſatis moderatus animus fuit. Sed bono vinci ſatius eſt, quam malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine ſua uſa, multos mortales ferro aut fuga exſtinxit; pluſque in reliquum ſibi timoris, quam potentiæ, addidit. Quæ res plerumque ma-

gnas Civitates peſſumdedit : dum alteri alteros vincere quovis modo, & victos acerbiùs ulciſci volunt. Sed de ſtudiis, ſubdit, partium, & omnibus Civitatis moribus ſi ſingillatim, aut pro magnitudine parem diſſerere, tempus, quam res, maturius me deſeret. Nec apud Romanos modo, ſed alios etiam apud populos degeneravere demum mores, tametſi uti nemo, ita nullus populus, nullus cœtus repentè factus fuerit turpiſſimus. Felicem, terque beatum illum, qui aut naſcenti, aut mox natæ, ſi tamen a Deo ſit, conjungitur ſocietati. Jam verò quemadmodum ex evolutis hominum facultatibus varias cupiditates ordine pullulaſſe; ſic & opiniones de rebus expetendis ad eaſdem accommodatas prodiiſſe latius oſtendit Stellinus; atque ut morum, ita errorum ſeriem infinitam quandam ex multis continuatis, aliiſque alios apprehendentibus fuiſſe connexam: (*) unde conſequatur opiniones eas de rebus expetendis, quas aut ſenſus indidit, aut immaginatio adornavit, aut mens & ratio ſenſim expedita protulit, ad artem & ad præcepta fuiſſe revocatas: (1) quare tametſi è Viri cele-

(*) *Cap. II.* (1) *Cap. III.*

lebris Oratione Dogmaticorum decreta de boni malique moralis natura, deque intimo erga virtutem impetu vehementer confirmata ſint, ac planè demonſtrata, tot attamen ad naturas illas probè noſcendas proſequendaſque in homine poſuit obſtacula, quæ tametſi urbanam potius & extimam, quam naturalem intimamque reſpicere videantur humani generis conditionem, aptè tamen ad imperfectionem naturæ hocce in ſtatu enucleandam ordinata ſunt, ut ſi non Contemplativi, practici tamen Sceptici aliqua ſaltem ratione poſſe videantur de veritate gloriari. Itaque ad exſuperandas tot tantaſque, ſive ex evolutione facultatum, ſive ex opinionum impotenti vi ortas ad rectè vivendum difficultates, quis inficiari poterit neceſſaria omninò fuiſſe ſumma illa primaque aptiſſima principia, quibus æternæ naturæ juſtitiam ac providentiam noſcerent, pertimeſcerentque vel inviti homines univerſi, unde neceſſariam eſſe virtutem ducerent, illiſque parere legibus, quæ ad ordinem naturæ ducunt, humanæque ad bonum ſocietatis? Seleuci Regis filius Antiochus novercæ Stratonices infinito amore correptus, memor quam improbis facibus ar-

Digitized by Google

deret, impium pectoris vulnus pia diſſimulatione contegebat. Itaque diverſi adfectus iiſdem viſceribus ac medullis incluſi, ſumma cupiditas, & maxima verecundia, ultimam ad tabem corpus ejus redegerant. Jacebat ipſe in lectulo, moribundo ſimilis: lamentabantur neceſſarii: pater mœrore proſtratus, de obitu unici filii, deque miſerrima ſua orbitate cogitabat: totius domus funebris magis, quam regius erat vultus. Hæc omnia naturæ, aut probæ inſtitutionis effecta. Verum quid ille ſine Religionis influxu? Parum profectò, immò quidem nihil. Sedens etenim juxta Antiochum Medicus, ut eum Stratonices ad introitum rubore perfundi, & increbeſcere ſpiritu, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum ſubinde recuperare animadvertit; curioſiore obſervatione ad ipſam veritatem penetravit. Intrante quippe Stratonice, rurſuſque abeunte, brachium adoleſcentis diſſimulanter apprehendendo: vegetiore modo, modo languidiore pulſu venarum, comperit, cujus morbi æger eſſet, protinuſque id Seleuco expoſuit, qui chariſſimam ſibi conjugem filio cedere non dubitavit: quod in amorem incidiſſet, fortunæ receptum referens:

rens: quod diſſimulare eum uſque ad mortem paratus eſſet, ipſius pudori imputans. Subjiciatur animis Senex, inquit Hiſtoricus, (§) Rex, amans: jam patebit quam multa, quamque difficilia paterni affectus indulgentia ſuperavit. En quid ſibi relicta aut natura, aut virtus etiam humana poſſit, aut potius utraque quid non poſſit. Non enim ille juſtus eſt, uti ſuperius animadverſum, qui juris ſcientiam habet naturalis, ſed qui officia præſtat illi juri conſona ac reſpondentia. Marcus Varro in litteris atque vita, fide homo multa, & gravis, in libro, quem inſcripſit Pius, aut de pace, Cajum Salluſtium Scriptorem ſeriæ illius & ſeveræ orationis, cujus in hiſtoria notiones cenſorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehenſum ab Annio Milone loris bene cæſum dicit: & quum dediſſet pecuniam dimiſſum. (*) Unde ejus in Vita Clericus: bonorum, inquit, Virorum timiditati, inconſtantiæ, aut imprudentiæ vix ignoſcere poſſumus, ſi quid aliquando moribus ſuis indignum, & ante actæ vitæ minus conſentaneum protulerint. Sed multo magis

(§) *Val. Max. Lib. V.*
(*) *Aulus Gell. Lib. XVII. Cap.* 18.

Digitized by Google

gis iram noſtram movent improborum honeſti ſermones; quibus, ut nequitiam ſuam occultent, certiuſque noceant, uti ſolent; nihil enim ſceleratius, quam armis virtutis uti, ut vitium tuearis. Non puto autem quemquam pravæ hujus ſimulationis labe magis infectum vixiſſe, quam Salluſtium, ut quicumque vitam ejus legent, eo exemplo intelligant non eſſe propterea exiſtimandum bonum quemquam fuiſſe, quod virtutem calamo defenderit, niſi conſtet mores cum ſermonibus conſenſiſſe. Nemo certè elegantius & acrius in ſuæ ætatis vitia, quam Salluſtius, invectus eſt; nec quiſquam vitæ minus ſeveræ fuit. Cum igitur in dogmatica, tum ſceptica etiam in ſententia primævæ concedendum traditioni eſt, illiuſque ſumma amplectenda capita, quæ & dubitationem omnem animi avertunt, & ceteras in rectum finem, ordinatamque in methodum ducere poſſunt cognitiones. Sedabit enim, natura, aut ſi non natura, ſedabit naturalis Philoſophia opinionis lites atque diſſidia, quæ inquieta heinc inde animum vexant, diſtrahunt, atque dilacerant, ſed ita ſedabit, ut meminiſſe nos jubeat, ex naturæ cognitione veram quietem & ſo-

lidam

lidam pacem ſe nobis præſtare non poſſe; eſſe hoc dominæ ſuæ, divinæ ſcilicet ſanctiſſimæ Traditionis munus & privilegium. Magno olim Juſtino geſtiebat animus, aliquid audire eximium atque Philoſophia proprium: Pythagoreum itaque acceſſit magnæ ſapientiæ Virum, cumque eo agere cœpit, ut inter Auditores reciperetur; quies ne, inquit, in Aritmetrice verſatus, Aſtronomia, atque Geometria? An te quicquam ad felicitatem pertinens percepturum putas, niſi ea prius edifcas, animamque ſenſibilibus ab rebus ad altiſſimas intelligibileſque traductam, virtuti aptam reddas, ipſiuſque ſummi boni contemplationi? Cumque multa Pythagoreus hujuſcemodi diſciplinarum protuliſſet in laudem, ablegavit hominem falſum eas neſcire, qui tamen viſum inde ſubdit abs ſe Senem ſacram ſibi commendantem doctrinam ab primæva Numinis traditione profectam; cumque mecum, ait, (*a*) ſermones ejus revolverem, eam modò Philoſophiam utilem reperiebam ac tutam, atque ita evaſi Philoſophus. Quantus autem Philoſophus, ſatis elogia ſamant celeberrimis è Viris ejus præclariſſimum in nomen perennibus literis conſignata. DE

(*a*) *Colloq. cum Tryph.*

DE PRINCIPIORUM
LEGIS NATURALIS
TRADITIONE
LIB. III.

I. MAximum quod adverſus poſita a nobis ſumma juris naturalis capita atque principia ferre ſoleant argumentum ii, quorum in ſententia optimè univerſo cum humano genere actum eſt, ſatiſque humanæ ſocietati proviſum, ſi non quotidie ſe mutuo diſcerpant jugulentque homines, aut immanium ritu ferarum prædas invicem non agunt, efferamque non ducunt vitam atque ſylveſtrem (pæne quippe omnes ſua omninò ſunt ſorte contenti, tametſi paucæ nimium ſint verè juxta naturam inſtitutæ ſocietates) illud eſſe frequens ſolet, quo tot tantoſque populos, abſque illius, de qua diximus, primævæ divinæque ſcientia Traditionis, coire potuiſſe ſibi facilè perſuadent, vitamque ſimul agere, & ordinatas conſtituere civitates: quod equidem momentum quum ex Atheiſmo confir-

firmare nulla ratione valeant, refragante ſcilicet univerſa humani generis hiſtoria, eidem ex adnotis idololatriæ erroribus vim omnem conciliare conantur. Enim verò tametſi homines ejuſmodi nobiſcum una, ex ea diſſerendi ratione, multiſque ex conſequutionibus, ſolius demum veræ Traditionis neceſſitatem evincant, rem tamen ſeriò ſi animadvertant, inficiari nullo modo poterunt, mediis etiam in idololatriæ tenebris, aliquam emicuiſſe veritatis imaginem ac umbram, ſubobſcurumque veluti radium, cujus ope ſumma illa juris principia, aliqua ſaltem ratione, & fuiſſe ſemper, & in ſocietatis ordinem influxum dignoſcamus habuiſſe perpetuum, quod ipſamet ex idololatriæ eſſentia, ac veluti natura ſatis adnotum eſt. Nam etſi proceſſu temporis plurimum de ſpatio curriculoque deflexerit ſuo conſuetudo majorum, ac primæva Traditio; & ita quidem deflexerit, ut alium veluti præſetulerit vultum, novaſque demum induerit quaſi formas; prima tamen illa principia, ſummaſque illas, de quibus egimus, veritates, quod ad ſubſtantiam, ita ut dicam, aut quod ad ſpeciem ſaltem, ita perpetuò incluſit, ut apud omnes omninò populos jure ſibi vendicare

viſa ſit Religio rectas vivendi leges, aut ad eam univerſum genus humanum naturalis officia retulerit ſocietatis; non eorum relatè ad naturam quidem ſemper, ſed relatè potiùs ad ita operandi neceſſitatem, cum ex obligatione ac præcepto, tum etiam ex ultione formidata legis; quum, uti ait olim Seneca, (1) nulla umquam gens adeò fuerit extra mores projecta, ut non aliquos crediderit Deos, neque defuerit umquam omnium conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Hæc autem qua credita ratione fuerint, quave in ſocietatem influxerint, & orta unde ſint probè ut percipiatur, eorum effata dignoſcere par eſt, qui ceteris præſtantius univerſi humani generis mores ac opiniones aliquod hactenus ad principium, ordinatumque ad finem redigere conati ſunt; quos profectò inter Lafitavium enumerandum eſſe docent ii, qui ſatis percipiunt, quantum eruditioni atque memoriæ, præſtare ratiocinium debeat, ac vis lucida criticè cognoſcendi. Ille quippe nova quidem, ſed arte ingenioque prædita, analogica ſcilicet methodo, Veterum ad mores legeſque dignoſcendas, viam pate-

(1) *Epiſt. CXVII.*

patefacere perviam viſus eſt ; quum enim totus in arcano fuiſſet ſtudio vetuſtatis ; Religionis inde proferendæ cauſſa occidentales eſſet ad Indos profectus , eo demum novit ſe perveniſſe in loco , ubi præjudicia mentis , tenebræque Eruditorum è vulgarium libris profectæ diſcuti facilè poſſent , ac diſſipari. Duo itaque , quæ in ceteris disjuncta , judicium animi deterius faciunt , peregrè ſcilicet agere & eruditio in Laſitavio conjuncta , efficere potuere demum , ut non aliquos abſque Religione , ſocietatis in officia influente , fuiſſe populos crederemus , aut adeò deſipuiſſe veterem ætatem , nullum ut habuerit ad ſuperiora ordinem , ſed leges eam noviſſe juſtitiæ veluti ac honeſtatis , aliqua perpetuo tamen cum Religione conjunctas. Quum enim Philoſophico ille oculo , mentiſque perſpicaciſſimo acumine Americanos homines frequentare pergeret , animo concepit ſuo locorum differentias analogicas eſſe poſſe differentiis temporum , ideoque regionum cauſſa adeò a nobis Americanos abeſſe , ac Romani diſtaverint ratione temporum , Græci , Perſæ , Sarmatæ , ac Schytæ : quare uti ſpecie , exque additamentis tantum , recentiores illi diverſas a noſtris

 abeunt

abeunt in ſententias, reipſa tamen naturali nobiſcum in lege, aut ejus ſummis ſaltem in capitibus conveniunt, ita conveniſſe non in moribus modo, ſed naturalis in Religionis ſubſtantia, ſummiſque ejus in principiis, Veteres illos exiſtimandum ſit, ſpeciem eſto religionis ac morum viſi ſint habuiſſe diverſam, qua ex re comparationem iniit feliciſſimam mores inter Sylveſtrium ac Veterum, rebuſque Americanorum noviſſimis ad antiquitatem illam uſus eſt enodandam, quam Viri Maximi Scaliger, Caſaubonus, Petavius, iiſque ſimiles explicare aggreſſi ſunt, eadem tametſi nec ſorte, nec felicitate.

II. Et ad Deum quidem quod adtinet, oſtendit apertiſſimè Laſitavius, (*a*) ejus ideam omnibus viguiſſe temporibus, & apud populos omnes, & quocumque in intellectu, non innatam quidem, uti contemplativi Metaphyſici docent, verum omninò practicam, neque moralem modo, verum uti ille etiam ait, Theologicam, Deum ſcilicet numquam cognitum modò fuiſſe uti in ſe exiſtentem, ſed habitum quoque exiſtentem fuiſſe res relatè ad creatas, præcipuè verò relatè ad univerſum genus humanum, cui ſe manifeſtum

(*a*) *De morib. Americ.*

ſtum per myſteria faceret ac leges, quibus ordinatè humana regeretur ſocietas; hominesſque ſingulos, divinis è manibus profectos, ſuum duceret ad principium, ſcilicet ad ſe, in quo finis eorum ultimus, veraque & ſola hominis felicitas perpetua eſt. Inter opiniones itaque Americanorum, non religionem modo naturalem, & primi cognitionem principii, ſtatoſque dies feſtos, & cæremonias reperiſſe ſe innuit Lafitavius, verum & veteres etiam ſimpliciſſimas ſacrificiorum formas, & Aras, & Templa lucoſque Patriarcharum moribus accommodatos, cruces etiam, ac creationis, diluvii, primique hominis, & fallacis hiſtorias Serpentis, doctrinam veluti de muliere, quæ univerſum genus infecit humanum, ſpem, immò liberatoris expectationem Dei ac Servatoris, ceteraque pæne omnia Adami hiſtoriæ, ac primævæ Traditioni adeò conſentanea, ut inferre inde latius audeat, Americanorum Religionem atque myſteria, eadem prorſus quod ad ſubſtantiam eſſe, tametſi elongatione temporum immutata veluti, ac ex explicandi modo interpolata, cum illis, quæ ſapientiſſimum Conditorem omnium Deum, in amœno loco variis arboribus fructiferis ac flu-

fluminibus conſito docuiſſe Adamum certum eſt. Eas verò Americanorum opiniones, eaque myſteria, ceremonias, ac religiosè diſſerendi rationem cum Religione ac moribus Veterum Gentilium aptè comparat Lafitavius, eoſque eadem pariter, quæ Adamus, quod ad ſubſtantiam credidiſſe autumat, immutatis modò aliquibus circumſtantiis, aut ludicris aliis additis, quibus hiſtoricam ſimplicemque operirent veritatem: populos tamen omnes & divinam, ait, faſſos naturam, & animorum immortalitatem, regionemque animarum, naturam hominum labe infectam atque vitiatam, commercium denique Deum inter ac homines, virtutes inter & præmia, vitia inter atque ſupplicia. Et aliquos quidem ſcimus, ut originem oſtenderent idololatriæ ad malum confugiſſe Genium, ad aliquem veluti in machina Deum, quem æterni Numinis ſimulatorem ac Simiam eſſe concipientes, univerſas pæne apud Gentes veluti ſimulachra veræ induxiſſe Religionis, quibus ſui in perniciem homines abuterentur, arbitrati ſunt. Aſt uti temporaria hæc origines rerum repetendi ratio inani nititur fulcro, eadem naturas quoque diverſas, impareſque formas ſub juga ahena ſævo videtur

mit-

mittere cum joco, quum perduellem illum invidumque Spiritum Authorem cauſſamque dicat, ut Deum Conditorem eſſe & Gubernatorem omnium univerſi fateantur & credant, eumdemque ſtatuiſſe virtutibus præmia, ſupplicia peccatis, ut certam habeant perſuaſionem de immortalitate animorum, maximum utique, omnium etiam judicio, ad contemnendam mortem, reſque fortiter gerendas incitamentum, ut per arduam virtutis incedendum eſſe viam, neque ferarum more, aut vivendum exiſtiment, aut moriendum. Hæc itaque hypotheſis quum vel ſibi cohærere non poſſit, adſerendum propterea eſt, ipſam Religionis omnium ſubſtantiam ab Adami primæva Traditione fuiſſe profectam, cui quum confeciſſet Deus vel ipſa circumtegendi corporis inſtrumenta, par quoque eſt, documenta, aut ſaltem principia tradidiſſe dirigendæ mentis ac ſocietatis.

III. Verum ne ſit omni ex parte Laſitavii ſyſtema, ſupernaturales ſcilicet relatè ad veritates? in præſenti ediſſerere noſtrum non eſt. Ea certè ratione, ac ejuſcemodi illud ad principium Mythologiæ relatione, ordinem aliquem, formamque induerent,

quæ

quæ inordinata eruditione ſuo contexuit in Libro concordiæ Rationis ac Fidei Huetius ; unde ablatum puſillis eſſet immane ſcandalum ex hiſtoria ſupernalium tot idololatras apud Gentes rerum , miraculorum etiam , myſteriorumque pæne , prorſus immò Moſaicis , noſtriſque ſimilium , quibus malè concepta illa ſcatet concordia : Qua enim alia via incerta ac dubia effici potuiſſet Religio ? Quid ſcilicet eruditio ſine ratiocinio , ac acumine mentis , ſine conſequutionum prævifione ? Sine gramine profectò campus , & ſine crine caput . Jamque diù expectatum tempus adveniſſe credimus , quo non quicumque , aut durus , uti mos erat , labor , ſed ingenioſus ſolum , eſto aliquando tenuis , promeritam apud ingenuos referre valeat coronam , utrumque tametſi plurimum in eo erraſſe arbitror , quod fabuloſa Veterum myſteria ea lege interpretati ſint , qua Græcorum in Libris reperiuntur ; quod equidem fieri nulla ratione poſſe , ſatis Opera Bocharti oſtendunt , Loydii , Barnerii , Salierii , Fourmontii , qui Phœnicum linguæ adjumento Mythologiam hiſtoricè enodare explicareque , ac naturales quaſdam ſimpliciſſimas hiſtorias recentioribus ab Græcis inanes

nes in fabulas fuiſſe immutatas oſtendere, feliciter perrexerunt. Egregiè itaque Bochartus, Præfatione in Libros de Coloniis & Sermone Phœnicum, humaniores, ait, literas & diſciplinas Græcis debere plurimum, nemo non ſpontè agnoſcet, qui non ſit idem ab omni humanitatis ſenſu alieniſſimus. Hi enim artes vel invenere, vel ab aliis inventas ita excoluere, ut apud ſe natæ videantur. Atque ad Europeas maximè Gentes pertinet hoc beneficium, quas obruit fœda barbaries, donec habuerit Græcos Magiſtros Scientiarum. Interim in illis hoc deſidero, quod ſunt recentiores, quam de rerum origine poſſint quicquam acuratè docere. Proinde ſi de natura differunt, alius chaos ſibi fingit, alius Mundum æternum, alius concurſus atomorum, quia de rerum creatione, ne fando quidem audierunt. Si de rerum inventoribus Adamo & Caino,. qui agros primi coluerunt; Cererem ſubſtituunt aut Triptolemum; Abeli Paſtorum Principi, Patrem Arcadem; Jubali Muſicæ repertori, Mercurium, aut Apollinem; Tubalcaino, qui metallorum conflaturam excogitavit, Curetes, aut Cyclopes, aut Vulcanum Lemnium; Noæ, a quo vinum inventum, Liberum Pa-

trem Cadmi Nepotem, & alios hujus farinæ heri hodieque natos. Iidem ſi hiſtoriam ſcribunt, quoties ad antiquiora conantur aſſurgere, ſtatim in fabulas devolvuntur: fateturque Thucydides ſtatim initio præclari Operis ante bellum Peloponneſiacum, quod Artaxerſis, & Nehemiæ ævo geſtum eſt, nihil ſe potuiſſe liquido comperire, propter longinquitatem temporis. Enim verò ſperare quis poſſit Græcos homines veterum de myſteriis vera referre potuiſſe, quum non ipſorum modo poſteros umquam vidiſſent, ſed eorum etiam regiones origineſque ignoraviſſent ac nomen, neque populorum, quorum de moribus diſſerebant ac religione, vel generalem, primis, ut ajunt, labris deguſtaſſent Geographiam? Profectò nihil eſt, vel quod audiamus libentius, vel majori diſquiramus ſtudio, quam quid antiquiſſimum unaquaque ſit in gente, quoſve habuerit Conditores, & ab quo nomen, & ex qua cauſſa ſit inditum. Græci verò Veterum de Geographia conſulti, ſubdit eodem loco Bochartus, vel obmuteſcunt planè, vel pueribus nugis Lectori ſuo palam imponunt. Europa, inquiunt, ab Europa ſorore Cadmi, Aſia, ab Aſia, Promethei matre, & a Libya

bya Epaphi filia Libya dicta eſt ; Spania item a Pane , & Luſitania a Luſo Bacchi ſociis ; & Baleares a Baleo comite Herculis, qui in Siciliam transfretavit : & Melite a Nympha Melite , ex qua Hyllum idem genuit : quale eſt quod Armenos ab Armeno deducunt Jaſonis ſocio , Medos a Medea Colcha , Perſas a Perſeo Argivo , Syrios, Babylonios , Arabes , & Garamantes ab Apollinis filiis Syro , Babylone , Arbo , & Garamante. Tam verè , quam quod iidem volunt Neptuni filios Dorum , Pelaſgum, Pheacem, Siculum , Sicanum , & Læſtrigonem totidem generaſſe populos cognomines. Nec fabulæ deſunt , quibus adſtruantur tam futilia commenta. Quum itaque , ſubdit, hujuſcemodi næniis libri ſcateant Græcorum, aliis eget adminiculis quiſquis ad veram & genuinam illius antiquitatis cognitionem aſpirat.

IV. Enim verò noſtris hiſce temporibus abeſt adeò ut Græcorum dicta de ſacris Veterum rebus fidem aliquam obtineant, ut pæne omnes è diverſo nihil non proprium, nihil non ſimplex in antiquorum fabulis latere fateantur: plura tametſi fabularum ſint genera , omnia tamen rem omninò veram

explicantia ; naturam enim , ejuſque effectus per compoſita ſemper fictaque Veteres protuliſſe ; eaſque res majores olim noſtros abſoluta ſimplicique narratione non prodidiſſe, ſed myſteriis involuta ac circumfuſa ſparſiſſe in vulgus , quod inimicam crederent eſſe naturæ , divinarumque rerum , nudam apertamque ſui expoſitionem : unde Poëticis veluti Commentis infiniti entis, ac naturæ arcana occultare ſtuduiſſent , propter Scientiarum videlicet præſtantiam , atque nobilitatem, propter brevitatem , propter jucunditatem quandam cum facilitate conjunctam, propter intelligibilium rerum diuturnam atque illibatam conſervationem, propter communem denique omnium utilitatem. Itaque falli eos conſequuntur , qui Veterum effata ac doctrinas nudè accipiunt , ac ſine allegoriis , quæ malè ac ſine jure myſteria apud aliquos audiunt , aut Philoſophica videntur placita adverſus vim ſimplicis omninò apertæque naturæ. Ludicram iccircò eſſe Herwarti illius eruditionem , qui in admirandis Ethnicæ Theologiæ myſteriis propalatis , lapidem magnetem antiquiſſimis paſſim nationibus pro Deo cultum conatur oſtendere, artemque , qua navigationes magneticæ univer-

ver-

verſum per orbem inſtituerentur, Veterum è Sacerdotibus, ſub Deorum, Dearumque involucris, & aliarum perinde cortice fabularum, ſummo ſtudio fuiſſe occultatam; non enim fuiſſe olim Sacerdotum ajunt antiquiſſimorum inſtitutum, res ut imperfectas perfectarum ſub involucris tegerent, aſt potius perfectiſſimam ut Numinum, uti cenſebant, naturam, ſub humanarum cortice rerum velarent: Sic Ægyptios, Pythagoreoſque, Brachmanes item & Indos hominum exiſtimaſſe, atque animalium animas deambulatorias eſſe per corpora, adſeruiſſe Græcos atque Romanos:

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ
Ipſe ego nam memini, Trojani tempore belli
Panthojdes, Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum lævæ geſtamina noſtræ
Nuper ab anteis templo Junonis in Argis.

Quos tamen vehementer falli contendunt; nam tametſi Metempſychoſeos errorem ab aliquibus poſt Chriſtum natum, modò etiam ab Sinenſibus, uti ab Hebræis extremo Reipu-

publicæ tempore, propugnatum haud inficias eant, antiquiſſimos tamen Philoſophos fœde adeò non erraſſe contendunt; Indefinitum eſſe Scriptorum numerum, qui moralitatis arcana Pythagoræ è Symbolis eruerunt Pythagoreum ab animalibus abſtinendi præceptum, quod in cauſſa plurimum fuit, cur ab Pythagoreis aliqui Metempſycoſim creditam arbitrarentur, ab iis interpretari ſolere, quibus animalis vita eſt, aut ab innocuis, aut etiam a morticinis; (*a*) unde laudata carmina hiſce commentetur Reuchlinus: (1) Ejus autem, quod Pythagoras dixiſſe fertur, ſe quondam Euphorbum fuiſſe, alia ratio eſt, non enim talem dicendi morem ipſe primus inſtituit, ſed longè prius in populari conſuetudine apud vetuſtiſſimos uſurpatum fuit, quia qua eſſet quiſque virtute, aut vitio præditus, alteri adſimilaretur, qui eminenter eadem conditione olim fuiſſet: virum enim quem libuiſſet robore præſtantiſſimum dixerunt eſſe Herculem. Adlatiſque ex Varrone, Numenio, Plauto, exemplis ſubdit: Iſta verba inolitam priſcorum loquendi conſuetudinem indicant, ut hunc

(*a*) *Dacer. Vit. Pythagor.*
(1) *Lib. II. de Art. Cabaliſt.*

hunc hominem dixerint illum eſſe quemdam, qui fuerit natura, ingenio, moribus, amore, adfectione, & opere ſimilior. Unde Romani ſolebant huic adagio particulam, alter, adjungere, ut tu es alter ego, & ego ſum alter tu, licet ſcientes, videnteſque, quod revera nec ego ſum tu, nec tu es ego; ſed in utriſque nobis ſentientes idem eſſe ingenium, par ſtudium, voluntatem eamdem, eumdem conatum, ſpiritum, animam: Unde illa famoſa tranſanimatio, nihil aliud revera Viris ſit rectè doctis, quam æqualis cura, ſimilis motus, & par ſtudium alicujus hominis mortui, poſt aliquo tempore in altero repertum homine vivo. Præclariſſima inde Pythagoræ in Apologiam adfert Reuchlinus, hæcque demum adverſus Græcos animadvertit: Quos miror pariter non ſine riſu, quod quum audierint crebrò teſtantibus ſapientiſſimis hominibus, omnem ferè Pythagoricam Philoſophiam, & eam maximè quæ de rebus divinioribus exſtet, myſticam eſſe, ac per ænigmata propoſitam, nihilominus tamen hanc ſapientiæ, de numeris maximè diviniſſimam partem, imitando Tyrrhenorum ſtultitiam, planè & citra omnem metaphoram accipi jubeant. Fuit autem

id

id priſcis & vetuſtiſſimi ævi ſapientibus in more, per arcanarum literarum allegorias, & ſenſuum myſteria profundam ſapientiæ tradere inquiſitionem: iccircò veteri ætati nec illa commenta, nec fabuloſa ejuſmodi ſacra valeant convenire.

V. Naturalis itaque, relictis omnibus myſteriis veterum atque portentis, Religionis ſubſtantia oſtendenda eſt; ceteras ſcilicet Gentilium Religiones, ab vera primævaque Traditione per errorem fuiſſe profectas: eas in vitæ officia influxum habuiſſe perpetuum: elongatione demum temporis ſuo ab principio omninò receſſas, ortum dediſſe Atheiſmo, ac placitis Philoſophorum; unde regreſſus, ſive ad primam veramque Traditionem recurſus ſocietati continendæ hominum naturali, poſſit neceſſitas elucere. Porrò tot inter idololatriæ ſpecies nulla aut vetuſtior, aut univerſalior fuit ſymbolica, quam equidem ab Adamitica Traditione, veroque Numinis cultu, peſſimè tametſi, & ex imbecillitate fuiſſe hominum derivatam, certum omninò eſt. Quod probè ut percipiatur, animadvertendum profectò, humanum genus, utpote anima præditum & corpore, ſenſibuſque perpetuò illigatum atque paſſionibus actum,

actum, quæ poſt originalem illum occaſum mentem etiam in vinculis poſuiſſe videntur, haud potuiſſe niſi per ſenſibilia ad intelligibilia ac immaterialia perduci, colere iccircò divinam haud potuiſſe naturam, niſi per imagines veluti quaſdam, & ſymbola rerum, quibus mentis ideas contraheret, ac applicaret, intimoſque animi ſenſus ſignificare extrinſecus poſſet. Hæc omnium una apta proportionataque erat humanæ conditioni cultus ratio, neque aliam clementiſſimus Deus exigere voluit, capacitatem hominum menſus, aut eorum potius imbecillitatis miſertus ac tenebrarum. Sol itaque, Luna Planetæ, ceteraque cæleſtia corpora data primum homini fuere uti divinitatis ſymbola cæleſtiſque militiæ. Ipſe ſupremus Conditor, ac ſapientiſſimus Gubernator ac Conſervator rerum, vocatus fuit exercituum Deus, ignis conſumens, uti Agnus, Leo, Petra, vera lux, & Sol juſtitiæ dictus eſt Chriſtus Deus noſter. Permiſſum etiam homini fuit, & loca veluti habere, & tempora, & formas, præcepta immò ſacrificia, & Sacerdotale munus, & veſtes, & ritus, quibus æternam illam veneraretur naturam, Deumque quo poſſet modulo, fateretur fa-

ctorem & ſervatorem ſuum, omnia regentem pro ſua voluntate, Patremque omnium ſibi obtemperantium; quem quum nemo videre poſſet, neque humana induſtria atque ingenio comprehendere; immenſus enim & incircumſcriptus eſt, proſequi per ea oportuit, quæ arcanam adeò naturam in animum revocare, mentique exhibere veluti poſſent, ac ſignificare. Symbolicus itaque ſua in Origine fuit verus etiam cultus, quo diù quoque uſi ſunt veteres illi Patriarchæ, qui per cognitionem Numinis atque doctrinam, modeſtia, juſtitia, arduarum rerum in vita perpeſſione ac tolerantia, virtutis conſtantia, pietatis etiam veræque Religionis confeſſione, naturalis officia juris præſtitere. Noachus profectò cum univerſis, qui in Arca continebantur, ex eadem egreſſus, exſtruxit altare Domino, tollenſque de animantibus cunctis ac volucribus mundis obtulit ſuper aram holocauſta, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis. Abrahamus verò quum habitare cœpiſſet juxta convallem Mambre, quæ eſt in Hebron, ædificavit ibi altare Domino; figenſque tabernacula juxta Salem Jacobus, emit partem agri, in quà erecto altari, invocavit ſuper illud fortiſſimum

Iſraë-

Iſraëlis Deum: quod repetere ſategit, quum è ſomno, in quo a Deo benedictionem acceperat, ſurgens, tulit lapidem, erexitque in titulum, fundens oleum deſuper, appellavitque nomen Urbis Bethel, in quam iterum dein adſcendit, & ædificavit aram ei, qui ſibi adparuerat, quando fugiebat a facie fratris. Sina mons erat omnes apud Hebræos ſacer, quibus & data in ſignum fœderis circumciſio. (*a*)

VI. Et optima fuit aliquo quidem tempore illa Deum per ſymbola colendi ratio; quum ſcilicet primæva Traditio turbidè minus per humana pectora profluebat. Aſt quum eadem fœda decoloratione, pluribus meandris errare cœpiſſet impurius, tum permiſſum Jacobi poſteris, illis ut ſymbolis uti modò poſſent, quæ ex parte hominis ſe tenerent, interioris ſigna veluti Religionis: ea verò omnia interdicta ſunt, quibus naturam divinam infinitaque Numinis adtributa exprimere ac ſignificare conſueverant. Ut enim ſenſibus magis aguntur homines, quam ratione aut intellectu, prævidebat ſapientiſſimus rerum ſcrutator Deus, fore ut illis in ſymbolis lapſa conſuetudo deflecteret demum

(*a*) *Lib. Gen.*

è via, eoque deduceretur, ſigna ut è ſignificatis rebus minus ſecernens, divinos creatis imaginibus conſtitueret honores, qua nulla pernicies major hominum adferri potuerit ſocietati.

VII. Ne futuri excœcata fuit cogitatio, aut vanus ille timor. Materialium enim rerum, corporum maximè cæleſtium cultus, humanum genus adeò pervaſit, ut non amplius pro ſignis aut ſymbolis, ſed pro veris Numinibus demum haberentur. Immò non ſydera modo atque planetæ, verum proceſſu temporis viliſſima nocentiſſimaque animalia magnis religionibus venerata ſunt. Et poſt Chriſtum quidem natum, quum Chriſtiani nominis Patres, inſana illa exagitare pergerent ac carioſa Numina, eorumque inanes umbras oſtendere ac irridere, idololatriæ vindicias conficere conati ſunt Gentilium nonnulli; eſſe nempe dixerunt ejuſmodi animalia divinarum perfectionum ſymbola, ductaſque veluti ad ſenſum imagines divinitatis; falli eos, qui tot ſapientiſſimas Gentes ac Populos ſupinæ adeò ſtultitiæ arguunt, ut ſibi in hortis Deos naſci crediderint; eos omnes, qui ſymbolis uſi ſunt ad naturam divinam animo repræſentandam, eamdem tamen

men veluti quid æternum coluiſſe, immenſum, infinitum, omnipotens, quod & fons bonitatis eſſet atque juſtitiæ, providentiamque haberet erga univerſum, ab eoque naturalis proceſſiſſe principia legis ac ſocietatis. Erras & laberis, ex perſona Gentilium objiciebat ſibi Arnobius, (*a*) ſatiſque te eſſe imperitum, indoctum, ac ruſticum ipſa rerum inſectatione demonſtras. Nam iſtæ omnes hiſtoriæ, quæ tibi turpes videntur, atque ad labem pertinere divinam, myſteria in ſe continent ſancta, rationes miras atque altas: nec quas facilè quivis poſſit ingenii vivacitate pernoſcere. Neque enim quod ſcriptum eſt, atque in prima eſt poſitum verborum fronte, id ſignificatur & dicitur, ſed allegoricis ſenſibus, & ſubditivis intelliguntur omnia illa ſecretis. Neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias, quibus ſigna conſiunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus Numina; ſed eos in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulachris. (*) Nec præſentia quidem deſunt exempla, quibus & opinionem illam

(*a*) *Lib adv. Gent. V.*
(*) *Lib. VI.*

illam confirment in præſenti aliqui, & etiam illuſtrent. De incolis enim illius Inſulæ, quæ a Gallis Delphini appellatur, verba faciens literariis in excerptis Baſnagius, (*) ex Orientalium Indiarum habet hiſtoria, regionis illius populos, vile animal divino cultu proſequutos, Europæis ea de re interrogantibus, ſerio regeſſiſſe; venerari ſe ſummum modò immenſum atque infinitum rerum omnium principium; quum tamen ſubjecto indigerent, cui animum applicarent ſuum, humilè adeò objectum ſatius fuiſſe arbitratos, oſtenſurum, quanto cultu ſupremum ens interiore actu proſequerentur. Symbolica itaque ſignificandi conſuetudo quum apud Veteres maximè obtinuiſſet; myſtica namque ſacrorum occultatio, eorum quidem ſententia, majeſtatem Numini conciliabat, imitans ejus naturam noſtros effugientem ſenſus, (*a*) auram heinc ſumſere aliqui, ut poſterioribus etiam temporibus, & Chriſti ortui proximis coluiſſe homines arbitrarentur, timuiſſeque ſupremum omnium Judicem, quem creatis tametſi imaginibus errore aliquo mentis exhibuiſſent, adeò tamen, ali-

(*) *Martii 1688.*
(*a*) *Strabo Lib. X.*

aliquorum ſententia, abfuit, mentis ut expertem crederent ac providentiæ, plura ut inveniſſe, potius viſi ſint illis in ſymbolis divinam ad naturam ejuſque perfectiones probè repræſentandas aperta æquè, ac omninò apta, honeſtiſſima ſigna.

VIII. Hæc enim verò omnia conciliari ne poſſint cum tot Veterum dictis, ac teſtimoniis, cum ſinceris etiam hiſtoriis, cum carminibus Poëtarum, quorum commenta de divinitatibus Veterum, nudè ſimpliciterque ſumenda eſſe latè Bælius, Jurieus, & Clericus oſtenderunt, cum expoſtulationibus denique Authorum ſacrorum & Patrum? prorſus dubito. Fuere olim qui temperamento uti neceſſum eſſe dixerunt; diſtinguendum propterea inferioris inter Vulgi homines & Sacerdotes, eoſque, qui ſupra vile Vulgus ſaperent; Fuere, qui diverſarum regionum ac populorum rationem eſſe habendam cenſerent; nos rationem ducimus habendam temporum; fabulaſque, uti ſymbolicum cultum, dum ortæ primum ſunt, rerum fuiſſe allegorias, non item poſtremis idololatriæ temporibus, quod latè inferius erit oſtenſum; ſat enim in præſenti eſt; ſi ſymbolicum illum, primum quidem inno-

innocentem, noxium inde & corruptum elongatione temporis cultum, iis derivatum arbitremur è Patribus ac Patriarchis, quos inter & ſe arcum ſuum in nubibus ſymbolum Deus, aut ſignum fœderis collocavit. (1)

IX. Hoc è principio cultus, immanis patet Spinoſæ impii error, qui ex hominum malis ac deſperatione, continuaque miſeriarum, ac neceſſitatum humanarum ſerie, repetendam cenſuit cæleſtis originem venerationis, & infinitæ potentiæ, quaſi de reliquis quibuſcumque mediis, quibus aliqua erigi ratione, ac ſublevari poſſent, deſperare cœpiſſe ut miſeri ac fatigati mortales, ſicque ad ignotam perfugere perrexiſſent virtutem, quæ adverſantis fortunæ modum tandem temperare valeret, infortuniaque & mala, vel prodigioſè ab ſupplicibus averruncare: (*a*) deploratis enim in rebus ad vota, preceſque decurritur, tumque votorum locus eſt, quum ſpei nullus eſt. Qua equidem in re neque rerum naturam probè conſuluiſſe videtur homo irreligioſus; quid enim diù calamitatibus actus, perpetuiſque circum-

(1) *Gen. XII. 13.*
(*a*) *Præf. Tract. Theol. Politic.*

cumcluſus miſeriis hominis animus, quid, inquam, eximium aut egregium ſuſpicere ac cogitare poteſt? Quid mediis in anguſtiis, ac deſæviente maximè inclementia temporum, nulla præconcepta juſtitiæ ac ſanctitatis æternæ vera traditione, imaginari poteſt humanum ac clemens, & erga vota hominum beneficum ac liberale? mirum enim, ni ſe ſe impotens eo temporis hominum natura abjiciat, ac veluti deſperatione perculſa humi jaceat, & odiſſe ſe incipiat. Exemplo certè ſunt cum veteres, tum recentiores etiam Athei, qui anguſtiis potius ac deſperatione, carentiaque fortitudinis in infelicitate atque conſtantiæ, quàm argumentis acti, libertatem ac providentiam æternæ mentis inficiati ſunt. Sic dolore partim ex calamitatibus, quibns fratrem ſuum adfecerant, & ipſa adeò vita privarant malevoli, partim ex antiquato edicto Nannetenſi oborto actum vidimus Bælium ad edendos peſſimos adverſus providentiam Numinis commentarios. (*a*) Carolus XII. Svecorum Rex antequam ab Hoſte apud Pultavam ſuperaretur, primus omnium intereſſe conſueverat precibus, primus humi

(*a*) *Act. Erud. Lipſ. MDCCXI. Mart.*

flexus devotiſſimè ſupplicare, primus grates Deo pro victoriis agere, primus concionem ſolertiſſimè audire. Aſt exercitu ſuo ab Victoribus debellato, velut mala pro malis Divino Numini referre contenderet, viſus eſt indifferenter erga religionem habere ſe, aliudque, immo ludicra ac inania agere, quum Deo ſupplicaretur, precibuſque ac concioni negligentiſſimè intereſſe. (*) Cujus equidem ratio ſumitur ex generoſitate quadam animi, qui magis ducitur, quàm trahitur; habet enim mens quiddam ſublime & altum, ac impatiens ſuperioris, ſed delectatione cujuſdam ſubjicitur reverentiæ, ſeu lenitatis, per quam ſuſpicatur ad paria poſſe conſcendere, & a ſuo non reſilire gradu. Cultus itaque Dei ejus ex imperio primum, dein ex ejuſdem cognitione excellentiæ, ex beneficiis oritur demum humano generi conlatis, exque intima hominum natura, è qua gratus oritur animus, & ordinata erga ſuperiora entia, & potentiora relatio. Enimverò tametſi nihil opus eſſe videatur Deo mortalium ſermonibus: Aſt ille quum ſua ſponte ſatis laudatus ſit & beatus, tamen gentium omnium linguis, literis,

(*) *De la Mortaye Obſerv. Critic. in Vit. Caroli XII.*

teris, ac ſacrificiis laudes ſuas celebrari facilè patitur, atque etiam gaudet, quum ea ratione in officio ſumus, idque externos per actus religiosè colimus, quod ſupra omnem mortalium conditionem longiſſimè extolli interiore ſenſu concipimus. Porrò tametſi caſtè ſanctèque litandum immortali Numini, ipſamet humana ratio ſatis edocere valeat, ſi tamen divinum ad cultum per veram traditionem humana imbecillitas haud manuducatur, obtimeſcendum profectò, nedum præſtare naturale ac debitum pergimus divinam erga naturam officium, aut ſuperbo triumphum ſtruamus homini, aut, inferioris, ut in idololatris ætatis eveniſſe credimus, humanitatis jura violemus, ac ſocietatis.

X. Jamque ut ad ſuperiora revertamur tempora, adque alteram Ethnicorum Mythologiæ partem, animales ſcilicet, uti ajunt, ad Deos noſtra deſcendat oratio, tametſi ii non ſimus, qui ſyſtematibus Eruditorum facilè concedamus, aſt tamen inficiari nulla ratione poſſumus, in iis quoque deprehendere fas, eſſe primævæ Religionis veſtigia ac Traditionis. Non enim a Poëtis totum fictum eſt, ſed, uti Lactantius do-

 cuit,

cuit, (*a*) aliquid modo traductum, & obliqua figuratione obſcuratum, quo veritas involuta tegeretur, veraque dicenda quæ loquuti ſunt, ſed obtentu aliquo ſpecieque velata. Sic de primi hominis fictione, quamvis corruptè, non aliter tamen, ac nos, tradiderunt. Hominem namque de luto a Prometheo factum eſſe dixerunt, reſque eos non fefellit, ſed nomen artificis. Nullas enim litteras veritatis attigerant, ſed quæ in vera traditione continebantur, ea de fabulis, & obſcura opinione conlecta, & depravata, ut veritas ab vulgo ſolet variis ſermonibus diſſipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad id, quod audierant, carminibus ſuis comprehenderunt. Sic univerſalem illam totius Orbis eluvionem, ſub Deucalioneæ nomine traditam cum Græci, tum etiam Romani & Hiſtorici ſervaverunt atque Poëtæ, quos inter Ovidius: (1)

Pœna placet diverſa: genus mortale ſub undis
Perdere.
Omnia Pontus erant, deerant quoque littora
Ponto.

Jup-

(*a*) *Lib. I. II. Div. Inſt.*
(1) *Lib. Metam. I.*

Juppiter ut liquidis ſtagnare paludibus Orbem,
Et ſupereſſe vidit de tot modo millibus unum.
Et ſupereſſe videt de tot modo millibus unam,
Innocuos ambos, cultores Numinis ambos, &c.

Suo omnes modulo eam cataclyſmi hiſtoriam referunt, ſuas aliqui modo referunt ad regiones, omnes tamen ſciunt de cataclyſmo, non exceptis Americanis, quorum in rebus Theodorus de Brii, qui diligenter, ait, inquiſiverunt, qua ratione nationes illæ rerum geſtarum memoriam conſervent, ut ad poſteritatem pervenire poſſit, eoſdem adfirmant neque libros habere, neque characteribus rem aliquam ſignificantibus uti: ſed patrias tantum cantiones (quas Hiſpaniolæ incolæ Areitos nominant) poſteris per manus tradere, eas illis librorum & hiſtoriarum vicem ſupplere. Eas in feſtis ſolennibus canere ſolent, in quibus ſuorum olim Caícorum, ſeu regulorum facinora recitant, victorias, quas de hoſtibus retulerunt, & mortis genus, quo perierunt, atque intermiſcentes dicta quædam de felicibus ſucceſſibus, aut infortuniis præteritis, immò etiam diluvii univerſalis mentionem facientes, aliarumque veterum hiſtoriarum, qua-

Digitized by Google

quarum memoriam perire nolunt. (*a*) Primus qui luculenter adeò de origine ac progreſſu ſcripſit Idololatriæ Voſſius, pluribus oſtendit in locis haud obſcuras ſupereſſe Græcorum in commentis reliquias veteris hiſtoriæ Adami, ac Patriarcharum. Saturnum itaque non alium fuiſſe, quam Adamum oſtendit; (1) quod ut percipi melius queat, conſiderandum proponit, ea quantopere, quæ aurea de Saturni ætate fabulati ſunt Veteres primæ conveniant primi hominis ætati, quam graphicè admodum depinxit nobis Poëtarum ingenioſiſſimus:

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque colebat.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ,
Non galea, non enſis erat.
Ipſa quoque immunis,raſtroque intacta,nec ullis.
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores:
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat. (*)

Quam

(*a*) *Tom. II. Part.* 4.
(1) *Lib. I. Cap.* 18.
(*) *Metamorph. Lib. I.*

Quam bellè, ſubdit, ea conveniunt hominis ſtatui in Paradiſo! Ut mihi quidem dubium ſit nullum, quin ex traditione aliqua hæc hauſerint Poëtæ. Nempe prima hominum ætas eadem in Poëtis eſt, ac in Scripturis prima; eoque Saturnus idem eſt ac Adamus. Saturnum enim non aliud, quam hominem fuiſſe, ne Gentium quidem Hiſtorici negare auſi umquam fuere. Si itaque omnes Gentium Dii fuere homines; nec ante Saturnum ullus Gentium Deus fuit: quis Saturnus ſit, niſi Adamus, ante quem homo non fuit? Quid mirum igitur, ſi multa adeò quæ primò conveniebant hominum Parenti Gentiles tribuerint Saturno? Quod nomen tum meruit Adamus, cum pudore nuditatis ſe abſconderit a facie Domini: Satar enim Hebræis latere, ut Saturnus idem ſit ac Latius: unde Terra, quæ veteri lingua dicta eſt Saturnia, Latium etiam vocabatur: ut ex Marone, aliiſque diſcimus. Imperium igitur, quod primus obtinuit Saturnus, imperium illud eſt, quod primus obtinuit Adamus, quum ei, Uxorique præcepiſſet Dominus replendam hominibus terram, & ſubjiciendam eam, ut dominarentur piſcibus maris, & volatilibus

bus

bus cæli, univerſiſque animantibus, quæ moverentur ſuper terram. Excidit eo dominio Adamus, Paradiſo immò exactus eſt: atque ita finem habuit primæva felicitas. Etiam imperio excidit Saturnus, quippe Regno expulſus: atque ita finem ſæculum habuit aureum. Agricola poſtea Adamus factus eſt, & agriculturam docuit ſuos. Primus etiam Saturnus inveniſſe, & docuiſſe dicitur agriculturam: unde & cum meſſoria fingebatur falce, & a Latinè tantum gnaris a ſatione ita dici putabatur. Quid quod ne natales quidem diſcordant? Adamus Dei filius vocatur: (*) quia non alium agnoſceret patrem; quam cæleſtem. Etiam cæli filius fuiſſe dicitur Saturnus. Adamus ex argilla formatus & pulvere terræ: Saturno quoque mater tribuitur Tellus, non ab Heſiodo modo, ſed in hymnis etiam, ſive potius initiis, quæ Orphæo tribuuntur, quum tamen Onomacriti ſint. Pergit etiam Voſſius, & in Saturno conſervatas nobis de Noacho Patriarcha Reliquias quaſdam oſtendit. Videbant nimirum, ut Adamus omnium, excepto nemine, origo eſt: ita Noachum eſſe primum omnium, qui

(*) *Luc. III.* 38.

qui poſt cataclifmum vixere. Totius Orbis imperium habuit Adamus, habuit & Noachus ſua cum familia. Saturni tres filii dicuntur: totidem ſunt Noachi. Diſtribuere illi inter ſe Orbis imperium: Hi item, vel eorum poſteri, diviſere Orbem univerſum; cujus diviſionis memoria penitus inter Gentes numquam exſtincta eſt. Ad Indiam verò contendens, ejus Gentis Ammonem Deum, interpretatur Chamum Noachi filium; (*a*) Indicumque Bacchum, ab quo univerſas Gentes torcularibus exprimere botros eſſe ajunt edoctas, Noachum ipſum interpretatur, qui primus docuit plantare vites, & vinum exprimere, cui optimè etiam competit, quod bis natus perhibetur. Sic enim veteribus non inidonea ratio viſa eſt, cur Liberum bis natum dicerent, quia vitis & ante Deucalioneum fuerit diluvium; & poſtea, quum diluvio periiſſe exiſtimaretur, iterum effloruerit: quanto juſtius nos Liberum noſtrum dicamus bis natum, quia fuerit, tum ante diluvium univerſi Orbis; tum pereunte Orbe reliquo, ſua fuerit cum familia ſervatus? Sed & Arabicum Liberum, Moſem fuiſſe noſtrum Voſſius oſtendit; (*b*) quod ut pertina-

(*a*) *Lib. I. Cap.* 25. (*b*) *Lib. I. Cap.* 30.

tinacibus etiam liquidum fiat, præcipuam Moſis hiſtoriam antiquiſſimis cum Liberi fabulis confert. Conveniunt quippe, & omninò coire videntur, quæ de natalibus, & educatione Liberi produntur a Gentilibus, cum iis quæ de nato Moſe, expoſitoque, aquis exſtracto, & reddito matri tradidere Scripturæ. Conveniunt etiam Liber & Moſes, quod uterque bimater & forma præcellens; Liberque creditus in Arabia natus, quia inde Moſes in Ægyptum conceſſerit, populum educturus Iſraëliticum. Nyſſam, ſive Niſam Libero inclitam, eidem animadverſum, quod Sina, quæ trajectis literis Niſa, celebris ſit, lege illic data Moſi & Iſraëlitis: exilium & Libero tribui, & Moſi: de utroque etiam proditum, ſubiſſe eos mare rubrum, ac pugnaſſe cum Arabum Rege: legiferum demum utrumque, & in Liberi Orgiis repræſentatam petræ percuſſionem, qua Moſes aquam eduxit.

XI. Heroas itaque alios ceteris comparatos cum Patriarchis, ſub eorum perſonis latere non laudatus modo Voſſius, ſed & Phœnicum ope dialecti latè etiam Bochartus oſtendit: (*) quorum quidem conjectationes, non

(*) *In Phaleg. in Chan.*

Digitized by Google

non eruditi inſtar Vulgus, pro ſyſtematibus habendæ, ſed ea ſolum ratione, ut præmonſtratam ex Ethnicorum fabulis primævæ dignoſcamus ſubſtantiam Traditionis. Ut enim eſt idololatriæ contagioſa quædam æmulatio, ſibique inconſtans, & nullo umquam ſtans veſtigio, talia veterum fabulis acceſſere additamenta, ut ita demum deformatæ, nulla poſſint ratione primis hominibus convenire. Enim verò veterum ſi Scriptorum, qui ad vetuſtiſſima illa tempora referuntur, hodieque copia ſupereſſet, ulteriùs nitidiuſque erui è Mythologia poſſet primæva Patriarcharum Traditio, uti reapſe in Authoribus illis Græcis atque Romanis, qui hodieque ſuperſunt, res Hebræorum ab Theocratia condita feliciter adeò dignoſcuntur, ut eorum etiam ex Hiſtoriis Moſaicæ veritas oſtenſa ſit.

XII. Poſteriori hacce in ſententia adeò fuit Huetius, ut Evangelica in demonſtratione ſagax magis, magiſque prudens, quam in Libro Concordiæ rationis & fidei, integrum completumque Mythologiæ originis ſyſtema conaretur inducere, univerſam propemodum Ethnicorum Theologiam (tutiori pede proceſſiſſet, ſi aliquorum modo dixiſſet

Poſteriorum) ex Moſe, Moſiſque actis, aut ſcriptis manaſſe contendens, eumque ab Gentibus ad Septentrionem & Occaſum poſitis agnitum & cultum, atque inter Deos relatum: fabulares itaque omnes Deos, unum idemque fuiſſe, nempe Moſem; fabulareſque omnes Deas, unam eamdemque Deam fuiſſe, Sephoram ſcilicet Moſis Uxorem; fabularium quoque Dearum pleraſque, Mariam retuliſſe Moſis Sororem; Mythicas ceteras Græcorum hiſtorias Moſis è libris atque doctrina, ipſiſque etiam ejus è verbis eſſe derivatas, è quibus complures etiam variarum Gentium profluxiſſe ait ritus & leges, Græcorum præcipuè, Athenienſium, ac Romanorum. Eo verò argumento validius vix ullum, aut ex eorum genere, quæ ratio ſuppeditare poterat ſplendidius ad ſanciendam primævæ Traditionis exiſtentiam inveniri poſſe negat; quod ne cui incredibile videatur, aut mirum, adtendat, inquit, (*) primum Iſraëlitas Ægypto reduces, poſtquam promiſſam ſibi a Deo Chananæam, velut poſtliminio repetitam, armis occuparunt, veri Dei cultum a Moſe ſibi traditum, vicinas inter Gentes pro ſua pietate propagaſſe; nec aliter

(*) *Dem. Evang. Prop. IV. Cap.* 3.

ter fieri potuiſſe, quam ut Phœnicum Theologia Moſaicis dogmatis imbueretur. Quemadmodum enim ex gentis utriuſque, Iſraëlitarum inqnam, & Phœnicum commercio, vicinitateque factum eſt, ut Iſraëlitæ, ſanctæ ſcilicet, & divinæ legis myſteriis inſtituti, haudquaquam immunes ſe Phœniciæ impietatis labe tuerentur; ita longè facilius evenit, ut tot portentis aſſerta Moſaicæ doctrinæ veritas Phœnicum animis illaberetur: cum præſertim a Chananæa gente plerique media in Paleſtina ipſos inter Iſraëlitas diù incolumes permanſerint: velut familia meretricis Rahab, Gabaonitæ, Jebuſæi, aliique complures. Poſterioris itaque Scriptores ævi utramque confudere gentem; atque ipſi etiam Phœnices è mari ſe quondam rubro in Phœniciam fuiſſe tranſgreſſos commemorabant: quod de Hebræis audiverant ad ſe pertinere exiſtimantes. Hoc etiam facilius Iſraëliticæ religionis notitiam habuit Ægyptus tot per annos Hebræorum hoſpes, altrix, & domina; & poſt ſeceſſionem, crebris inde commerciis, fœderibus, connubiis, bellis, exiliis, peregrinationibus, eidem permixta genti. Idemque de Perſis dicendum ait, Aſsyriorum ac Babyloniorum ſucceſſoribus,

bus, per quos domiti Iſraëlitæ, & in Orientem migrare juſſi, diutinam inter eos moram traxere, pars etiam illic in perpetuum conſedit. Ex Perſide porrò ſtricturas quaſdam Hebraicæ doctrinæ vicinæ in Indiæ tenebris fulſiſſe: Per Phœnices verò Ægyptios ejuſdem diſciplinæ aura Græcos, ac pleraſque maritimas per Occidentem Gentes, per Græcos verò Romanos afflatos. Jam ſi Huetii ſuper adlatis Moſis ſimulacris opinionum explorentur argumenta, tametſi non omnium idem pondus ſit, eadem vis, quod ultrò ipſe fatetur; (*a*) at pleraque tamen ſunt hujuſmodi, ut iis qui contradicat, is meridie facem velit accendere. Vel in ejus Zoroaſtris cum Moſe comparatione, quam ſimilia omnia, quam paria ſunt! Parum diſcrepant Patrum nomina, ſtatim ab ortu riſiſſe uterque dictus eſt; Mundi principia quinque libris uterque tradidiſſe; idolorum ſuſtuliſſe cultum; ad mortem a Rege eſſe quæſitus; a Deo ſervatus, immiſſis impium in Regem venenatis culicibus; periculum evaſiſſe fuga; fluenta incolumis & ſiccus tranſmiſiſſe; exul uterque ſeceſſiſſe in montem, qui cæleſtibus ignibus ardere viſus ſit; illic

(*a*) *In Præf.*

illic Deum flammis obſitum oculis ſuis intueri haud potuiſſe; legum prope earumdem codicem a Deo accepiſſe, flammaſque inde retuliſſe; mirifico quodam cibo in deſertis paſtus eſſe; ignis perpetuum ſanxiſſe ritum; ignota morte ex hominum oculis uterque evanuiſſe; quibus equidem ſi adjungas, fuiſſe, qui crederent, nullum umquam extitiſſe Zoroaſtrem, & commentitiam eſſe Perſonam; quis frontis non perfricatæ homo unum videri neget eos, quorum vita, facta, caſus, mors, cetera mira adeò, adeò inuſitata conſentiant? Hunc hominem Prideauxius aut Hebræum, aut Prophetæ Hebræorum familiarem arbitratus diſcipulum, eorum è doctrina perſicam ait hauſiſſe Theologiam. (1) Quæ omnia veterem, de qua dicimus, extitiſſe ſatis oſtendunt Traditionem, & non extitiſſe modo, ſed eamdem & incluſiſſe, & ſervaſſe fabulas, uti Veterum omnium laudata a Blanchino (*a*) teſtimonia apertiſſimè oſtendunt. Uberius verò evidentiuſque, quæ adhuc exſtant, ab eodem mirè adeò illuſtrata ſymbolica monumenta, in cauſſa, quæ profectò eſſent, ut numquam Seldenos, Mar-

(1) *Hiſtor. Jud. & Pop.. vic.*
(*a*) *Hiſt univerſ. ex monum. pag.* 32. 201. 207.

Marſhamos, Uſſerioſque Britanniæ, numquam Bataviæ Voſſios & Vandaleos invidere poſſet Italia, ea ſi noſter vixiſſet ætate, qua nondum adeò rerum erat hujuſmodi, ac Philologiæ pertæſum.

XIII. Et Huetianæ quidem opiniones maximos hiſce temporibus paſſæ ſunt adverſarios, quod integras Nationes, populoſque nulla ratione barbaros, plurium ſpatio ſæculorum, & ea quidem ætate, quæ Creationi proprius acceſſit, aut exleges omninò fuiſſe, aut, refragante Moſis hiſtoria, nulli ante Exodum Iſraëlitarum ex Ægypto deditos idololatriæ præconcipere videantur; quod incongruum non modo & abſurdum eſt, verum & ex eo impoſſibile, ut concipi nullo jure poſſit, exiguam numero, viribus, divitiis, ac nomine gentem, ne finitimis quidem ſatis adnotam, quippe nullo commercio colentem mutuos uſus, Ægyptiis utique inviſam, exemplar fuiſſe ceteris bene ordinateque vivendi, reliquarumque omnium ſocietatum. Verum non quocumque tempore, aut quocumque in loco exigui adeò numero atque potentia, aut deſpicati inviſique, inermes, ceteriſque ignoti populis Hebræi fuere, ſed latè immò per Orbem, ab Theocratia condita,

dita, eorum ſe ſe protulit fama, imperantibus maximè Regibus, quorum ſapientiam ac majeſtatem longè etiam diſſitæ Gentes admiratæ ſunt. Nec tamen hance ante floreſcentem Hebræorum conditionem ceteri exleges fuere populi, abſque ordinatis moribus ac ſocietate; primæve quippe regi potuere Traditionis præceptis, atque Adamitica Religione teneri; idololatriam enim, eſto origine vetuſtiſſimam, præmoſaicis tamen temporibus ſua nondum dilataſſe pomœria, plurima præter certiſſima argumenta, illud evidentius utique oſtendit, quod pauciſſimorum ope hominum potuerit Adamitica ſervari Traditio. Ut enim in Dei populo tres modo Patriarchæ, Mathuſalemus ſcilicet, Semus, & Iſaacus intemeratam, inviolatamque divinam legem ab Adamo ad uſque Iſraëlitarum in Ægyptum ingreſſum ſervare, ac continuare potuerunt, ita ceteris etiam in familiis populiſque, ejus ſumma ſaltem relatè ad capita, idem evenire potuiſſe par eſt exiſtimemus; eorum quippe homines, æqualem Patriarchis ætatem adtigiſſe plurimorum authoritate Scriptorum, quorum integra tunc extabant Scripta, Flavius oſtendit, (1)

(1) *Lib. Antiq. I.*

inque Mundi infantia, quæ nobis poſtrema ſenecta eſt primis fuiſſe hominibus validum inventa.

XIV. Poſteriori tamen idololatriæ tempore, & Servatoris ortui proximo, non animales illi modo Dii, qui Adamitica hiſtoria derivati erant, apud Gentiles demum obtinuere, verum & alii bene multi inſano conſilio in cælum adſcripti, & magnis religionibus culti ſunt; dum enim, uti Minutius Felix ait in Octavio, Reges ſuos colunt religioſè, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias inſtantius detinere, ſacra facta ſunt, quæ fuerant aſſumpta ſolatia; & unaquæque natio Conditorem ſuum, aut Ducem inclitum, aut Reginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerata eſt, ut civem bonæ memoriæ, unde & defunctis præmium, & futuris daretur exemplum. Hiſce acceſſere regnorum ac rerum viciſſitudines, quibus immutandam Religionem ad populos vel commovendos, vel continendos opportunum ducere ſolebant Principes; nam etſi arcanum ſit novi ſtatus imago antiqui, aliquando tamen novi mores veteribus præferuntur, tum ma-

maximè quum nova deſcendunt in placita ii, qui legibus præſunt; qualis enim Rex eſt, tales plerumque non veri ſunt Sacerdotes; & mobile mutatur ſemper cum principe vulgus, non in moribus modò, ſed etiam in religionibus, adhæreſcentibus citius, & ſe propagantibus malorum contagiis, quam imaginibus virtutum. Heinc ex ſymbolicarum una divinitatum, tot cum animalibus Diis permixtione, primæva illa naturalis legis traditio, Hebræorum extra Gentem, adeò antiquata eſt, ut nullis inde veſtigiis potuiſſet vel imperfectè dignoſci. Illis adhuc tamen in tenebris ſumma illa, quæ juris dicimus capita, vel per ſpeciem ita effulſere, ut in acta hominum male etiam conceptæ illa Religiones ſummum viſæ ſint habuiſſe defluxum; Maluerunt enim omnes, quod Germanorum de Gente ſcripſit olim Tacitus, de virtute ac Deorum actis credere, quam diſputare, vitamque agere velut Diis ipſis præſentibus, qui promiſſorum eſſent, hominumque ipſorum fidei inter ipſos obſides & teſtes. Hoc vel in triſtiori novimus idololatriæ facie, quum ſcilicet invaleſcente Religione Chriſtiana, atque ob id ſenſim frigeſcentibus Gentilium ſacris, è Curia,

conniventibus opinor ad hoc Romanis Principibus, ejecta ara eſt, quam veluti conſiliorum, dictorumque omnium teſtem, multis ab hinc annis religioſiſſimè in Senatu coluerant: Eratque in hoc jam planè res, ut ſacris illis rancidis veterum ſemel nuncius remitteretur; Quum exortus Symmachus Urbis Præfectus, adque Romanos Principes legatione ſuſcepta, ut ſacra tot aunorum conſenſu inolita, locum quem uſu ceperant tuerentur, oratione illa, quæ inter Ambroſii, & Prudentii opera legitur, ubi, inquiebat, in leges veſtras & verba jurabimus, qua religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimoniis mentiatur? Omnia quidem ideo plena ſunt, nec ullus perfidis tutus eſt locus: ſed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præſentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit ſingulorum, neque aliud magis authoritatem facit ſententiis noſtris, quam quod omnia quaſi juratus ordo decernit. Patebit ergo ſedes profana perjuriis, & hoc inclyti Principes mei, probabile judicabunt, qui ſacramento publico tuti ſunt? Suum etiam dicebat morem cuique eſſe debere, ſuum cuique ritum: Varios cuſtodes Urbibus, varium-

riumque cultum mentem diſtribuiſſe divinam: Ut animæ naſcentibus, ita populis fatales genios dividi: Accedere utilitatem, quæ maximè homini Deos aſſerit; rationem omnem eſſe in operto, neque alio rectius, quam de memoria, atque documentis rerum ſecundarum cognitionem venire Numinum: Jam ſi longa ætas authoritatem religionibus faciat, ſervandam eſſe tot ſæculis fidem, & ſequendos ſibi parentes, qui ſequuti erant feliciter ſuos: Eum cultum Romanas in leges Orbem redegiſſe: ea ſacra Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repuliſſe; ergo Diis patriis, Diis indigetibus dandam pacem: æquum eſſe, quicquid omnes colunt unum putari: eadem ſpectari aſtra, commune cælum eſſe, eumdem nos Mundum involvere: intereſſe nihil qua quiſque prudentia verum inquirat: uno itinere non poſſe perveniri ad tam grande ſecretum: Sequutam immò eſſe Religionis contemptum famem publicam, ſpemque provinciarum omnium meſſem ægram decepiſſe: non eſſe ea vitia terrarum, nec imputandum aliquid agris: non obfuiſſe ſegetibus rubiginem, neque necaſſe fruges avenam; ſacrilegio potius exaruiſſe annum: neceſſe demum fuiſſe perire

rire omnibus, quod religionibus negabatur. Hæc omnia quæ lato, ac veluti divino calamo in Prudentii, & Auguſtini Libris oppugnata ſunt, evidenter tamen oſtendunt, vel in infeliciori idololatriæ facie, ac poſtremis erroris diebus, timuiſſe homines ea quæ divinitate prædita autumabant, exque ſupero defluxu ſecundas expectaſſe res, ac pro meritis etiam adverſas, unde vel inanis atque corruptæ Religionis robore ſocietas firmaretur.

XV. Eam poſteriorum temporum Religionem artis ac politicæ potius effectum fuiſſe, quam pietatis, eo ſcilicet ut conſilio vulgares homines in officio detinerentur, adnotum cuique eſt; aſt tamen probè ac diligenter perſpicienti ſatis illud idem oſtendit, vidiſſe compertiſſimè homines, abſque umbra ſaltem Religionis humanam conſiſtere non poſſe ſocietatem; quum neque in rerum natura, neque humana in ratione ſatis habere poſſint virium leges, quæ ordinatam ducunt ad vitam, eſſentias enim rerum ſcrutari, oſtenſaſque etiam comprehendere omnibus datum non eſt, poteſtque unius ſemper ratio cum alterius mente ac ratione contendere: facillimum verò legem radices

non

non habentem, aut in imperfecta ratione habentem labefactare. Nec opponat quis, quibuſcumque demum ſpeculativis principiis imbuantur homines, ipſos tamen pro libito mores, vitamque componere: veritas enim, & experientia contrarium planè ſuadent. Religio ſiquidem perpetuum frenum eſt, quanquam aliquando minus validum, minuſque continendis hominibus aptum cœco impetu abreptis. Et ſanè perquam ſæpiſſime Religio ſceleroſos impioſque homines in probos frugique convertit. Hinc repetitum illud ab Libertinis effatum, Religionem ortus ſuos Politicæ debere, ipſis vel invitis Religioni certo quodam ſenſu favet, ſic enim neceſſariam ejus utilitatem ſaltem fatentur. Immò quum neque ab humana authoritate ſat habere lex poſſit robur ac fundamentum; nec enim eodem umquam ſtat veſtigio hominum fama: ſemperque mortales quantumcumque nomen & authoritatem habeant, invidiam tamen ſentiunt majorem, iccircò qui Legum latoris officium apud Gentiles arripere ſibi auſi ſunt, ſuis ut a Civibus illam, quæ ad parendum neceſſaria eſt, obtinerent fidem, perſonatas induxere Numinum traditiones, ſibique a Diis veluti tra-

traditas leges edixerunt, quo majeſtas aliqua in illis haberetur, atque erga illas obligatio.

Ut rerum primæva Diis data ſemper origo
Religione hominum; ſic leges Orbe repertas
Munere Divorum tradunt: Tam nobile pignus
Par erat, ut longè egregios agnoſceret ortus
In cõmune bonum; nec enim mortale putandũ eſt
Humanæ columen vitæ; quo flectitur omne
Bellorum arbitrium, quo pacis amica foventur
Otia, & in tuto regnat concordia Mundo.

Hacce itaque de cauſſa leges ſuas Jovi acceptas referebat Minos, ſuas Apollini Delphico Lycurgus, ſuas Egeriæ Numa, ſuas Dianæ, ejuſque Interpreti Cervæ Sertorius, ſuas & Cereri, qui ejus ſacra Theſmophoria dicebant, aliis ſuas & ceteri divinitatibus, ad conciliandam authoritatem. (*) Dicebatur Epimenides, unus è ſeptem Græciæ Sapientibus Nimphæ filius, cæleſti dæmone, & ſupera gaudens revelatione; adſignatumque Pythio Apollini præceptum: Noſce Te ipſum. Monuit politicorum filius, hacce in parte non malè, Reges, qui olim imperium uſurpaverant, ad ſe ſcilicet ſecuros præ-

(*) *Val. Max. Lib. I. Cap.* 1.

præſtandos, perſuadere conatos, genus ſe ſuum ab Diis immortalibus ducere: nimirum quia putabant, ſi modo ſubditi, & omnes eoſdem, non ut æquales adſpicerent, ſed Deos eſſe crederent, libenter ſe ab iiſdem regi paterentur, ſe ſeque facilè ipſis dederent. Sic Auguſtus Romanis pervaſit, ab Ænéa ſe, qui Veneris filius, & inter Deos credebatur, originem ſuam ducere: Se Templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli voluit. (*a*) Se quoque Alexander ut Jovis filius coli decrevit, quod quidem conſilio, non autem ex ſuperbia feciſſe videtur, uti ejus reſponſum ad Hermolai invectivam indicat. Illud, inquit, (*) pæne riſu dignum fuit, quod Hermolaus poſtulabat me, ut averſarer Jovem, cujus oraculo cognoſcor. An etiam quid Dii reſpondeant in mea poteſtate eſt? Obtulit nomen filii mihi, recipere ipſis rebus, quas agimus, haud alienum fuit. Utinam Indi Deum eſſe me credant. Fama enim bella conſtant, & ſæpe quod falsò creditum eſt veri vicem obtinuit. Simul cauſſam ſimulationis inſinuat; quod etiam Cleo,

(*a*) *Tacit. Lib. Ann. I.*
(*) *Curt. Lib. VIII.*

ſua in Oratione , qua Macedonibus conabatur perſuadere , ut Regi adſentarentur, fecit ; poſtquam enim laudes Alexandri cum admiratione narraret, ejuſdemque merita recenſeret , ſimulationi ſpeciem veri dedit, adque rei utilitatem ſic tranſiit: Perſas quidem non piè ſolum , ſed etiam prudenter Reges ſuos inter Deos colere ; majeſtatem enim ſalutis eſſe tutelam. Et tandem concludit , ſemetipſum quum Rex iniiſſet convivium, proſtraturum humi corpus : debere idem facere ceteros, & imprimis ſapientia præditos. Aliquos etiam apud populos diſcretio nulla obtinuit Sacerdotium inter & Imperium, aut ſaltem lata, utriſque conſentientibus, quæ ad Rempublicam pertinebant decreta ; cognoſcebant quippe acutiſſimi politicorum filii, ſe, ſuoſque nullo agere modo Legum latores poſſe, niſi aut divino ſati genere, aut Diis per Sacerdotium conjuncti dicerentur , uti apud Gallos olim in Druidis, Romanoſque, & Saracenos. Athenienſes omnibus ſemper publicis conſiliis divinos quoſdam Sacerdotes , quos Manthes vocabant , adhibuerunt : Regibuſque ſuis augurem adſeſſorem dedere Lacedemonii : itemque Senibus ; ſic enim publicum conſilium appel-

appellabant, augurem intereſſe voluerunt: iidemque ſemper rebus de majoribus aut Delphis oraculum, aut a Dodona petebant. Parens Romulus non auſpicato ſolum Urbem condidit, ſed ipſe etiam optimus fuiſſe Augur videtur: deinde auguribus & reliqui Reges uſi: exactis verò Regibus, publicè nihil ſine auſpiciis, nec domi, nec militiæ geſtum. Cumque magna vis eſſe videretur, & in impetrandis conſulendiſque rebus, & in monſtris interpretandis ac procurandis in Aruſpicum diſciplina: omnem hanc ex Etruria ſcientiam adhibuere Quirites, ne genus eſſet ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. (*a*) Jus verò civile, multa per ſæcula, ſacra inter cæremoniaſque Deorum, uti ajebant, immortalium abditum, ſoliſque Pontificibus notum Gn. Flavium factum Curulem Ædilem cum ingenti omnium indignatione vulgaſſe, non ſine morſu tradidit Hiſtoricus: (1) ex quo eruere fas eſſe videatur, veteres olim Romanos civiles etiam leges ad traditionem veluti revocaſſe. Apud Malabaricæ demum regionis homines præcipuo in honore habiti fuere Brachma-

(*a*) *Cic. Lib. I. Divin.*
(1) *Liv. Lib. IX.*

Digitized by Google

næ, quorum erant ſcitis omnia publica & privata ſacra ſubjecta. Hi cæremonias & juſta funebria ſuo præſcribebant arbitratu: iidemque magno ſuo quæſtu prodigia, ſortes, auguria, & omnia interpretabantur: horum diſciplina inſtitutiſque ipſi imbuebantur Reges, omnibus magnis parviſque in rebus illis obnoxii. (§) Illud autem certiſſimum omninò, nullum extitiſſe jus, nullam apud Gentes veluti naturalem legem, quæ haud habita fuerit ab Diis lata, atque dictata, aut ab hominibus, qui Deorum veluti nomine loquerentur ac poteſtate; nec quemquam alienum ſervitium aut dominationem ſibi concupiviſſe, ut non eadem iſta Traditionis vocabula uſurparet, ex omnium ſcilicet recepto conſenſu, curare humana ſuperos, eſſe alia in regione præmium aliquod virtutibus, ſupplicia peccatis, unde igneus ille fluvius, ſtygiaque palus, & quæ veſtibulum ante ipſum primiſque in faucibus orci reperta iri fabulabantur, in quibus ſcilicet

Luctus & ultrices poſuere cubilia curæ:
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus:
Et

(§) *Alaſ. Hiſt. Ind. Lib. I.*

Et metus & malè ſuada fames, & turpis egeſtas
(Terribiles viſu formæ) Lethumque, laborque;
Tum conſanguineus Lethi ſopor: & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverſo in limine bellum:
Ferreique Eumeridum thalami, & diſcordia demens,
Vipperenm crinem vittis innexa cruentis.

Verum ut in Tragediis evenire ſolet, in quibus Actores Spectatorum animos vehementiſſimè commovent, dum in Scena perſonati vera ſimulant Heroum verba atque facinora; brevi tamen actione præterita, depoſitaque perſona, evaneſcit ſtatim quicquid in illis ſupra ceteros honoris erat ac dignitatis: ita umbraticæ illæ traditiones, quamvis ab primæva ac vera hauſtæ & exortæ, adeò tamen deturpatæ erant ac deformatæ, ut tametſi aliquo, quamvis diuturno, tempore, primævæ illius vices ſimulare, nomenque auguſtum obtinere potuerint; uti vaniſſimo tamen nitebantur fulcro, detracta ſuperſtitioni larva, umbriſque fugatis, majeſtatem om-

omnem amiſerunt prorſus ac authoritatem.

XVI. Illa immò in errorum caligine, qua ſynceris, humanum genus non tenebatur Traditionis principiis, ſed eorum umbra modò ac imaginibus, haud ſatis conſtituta firmiter dici poterat ſocietas hominum naturalis; nam etſi maxima eorum pars, omne ſcilicet vulgus, ſpe adhuc præmii, & metu Deorum aliquo teneretur, quòd omnia proſpera, ut inquit Livius, (*) eveniant ſequentibus Deos, adverſa autem ſpernentibus; Philoſophi tamen, ac plurimum Sacerdotes, de naturalis juris principiis, divina ſcilicet juſtitia, ac animorum immortalitate maximè dubitabant, inductis ſcilicet naturalibus Diis, aut veriùs Atheiſmo. Hoc verò malum è Philoſophia ortum negabit nemo, qui animadverterit, primos naturalium in rerum cognitionem animum attollere conatos, Aſſyrios, ſive Chaldæos, Arabes inde, Ægyptioſque, divina quum diſſererent de natura, eam ab Mundi ſubſtantia haud diverſam eſſe arbitratos, Deorum originem Phyſicis è rebus traxiſſe, partibus ſcilicet Mundi, quos omnes divinæ credebant eſſe naturæ, quod univerſalem hunc indefinitum-

que

(*) *Lib. V. Dec.* 3.

que conſtituerint Deum, ſcilicet Mundum. Et Philonem quidem hæc de Chaldæis adſerentem arguit Clericus, (*) nihil eſſe inquiens Chaldaica in Theologia tale, & calumniam ſanè redolere; niſi fortè Philo Platonicam ſententiam cum Chaldaica confuderit: Eos immò valde Chaldaicæ in hiſtoria Philoſophiæ vindicare etiam pergit Stanlejus. Verum Auctores hoſce haud ſatis conſtare ſibi is ſtatim poterit percepiſſe, qui Clericum ipſum in adnotationibus ad Chaldaica Oracula, ea legerit comparantem, ſimiliaque Platonicis oſtendentem doctrinis; exque Stanleji ſententia, emanationes illas pæne Platonicas, cæleſteſque defluxus quoſdam, ex fati planè Stoici doctrina, cæleſtiumque & elementarium corporum cultum Græcanico intelligendi modo & ritu apud Chaldæos obtinuiſſe animadverterit. Eos ſequuti Græci, quos veteres dicimus Academicos; quique tametſi verum adtingere viderentur, quum animalibus in Diis, ſive in hominibus, divinam naturam haud ſitam eſſe poſſe docerent, profundius tamen in barathrum incidere, Numinis quum ideam ſociare huic conarentur adſpectabili univerſo. Cotta ille, qui

(*) *Ind. Philol. ad Hiſtor. Phil. Orien.*

qui Stoicos arguit, Piſcem, inquit, (*a*) Syri venerantur: omne ferè Genus Beſtiarum Ægyptii conſecraverunt. Jam verò in Græcia multos habent ex hominibus Deos, Alabandum Alabandi: Tenedi Tenem: Leuchoteam, qui fuit Ino, & ejus Palæmonem filium; cuncta Græcia Herculem, Æſculapium, Tyntaridas; Romulum noſtri, alioſque complures, quos quaſi novos & adſcriptitios cives in cælum receptos putant. Hæc igitur indocti. Quid vos Philoſophi, qui meliora? omitto illa, ſunt enim præclara. Sit ſanè Deus ipſe Mundus. Hoc credo illud eſſe:

Sublime candens quem invocant omnes Jovem.

Quum verò ab receptis ſemel moribus ac religionibus animos hominum revocare periculoſæ videretur opus aleæ, timeſcerentque Philoſophi, quod Socrati, & Abderitæ accidit Protagoræ, neque contineri Rempublicam ac ſocietatem poſſe viderent, ſi ab imperito profanoque vulgo animalium Deorum opiniones eriperent, partibus Mundi ea indidere nomina, quæ ad homines honore cultos divino, animaleſque ad Deos ſignifican-

(*a*) *Cic. Lib. III. de N. Deor.*

Digitized by Google

ficandos uſurpabantur. Velum hunc obduxere Poëtæ, quorum pars magna Philoſophorum ſententiis imbuta naturæ opera, admirandoſque hujuſce, uti autumabant, infinitatis effectus, Deorum, Dearumque ſub involucris repræſentans, novos induxit animales Deos, ac opiniones, uti quum Ceres campeſtris ac fœcundi ſoli vim deſignaret, montani, lapidoſique Proſerpina. Hæc a Plutone rapta quum a Cerere viſeretur. Nam ſi quamlibet uberes agri per neglectum, vel alia de cauſſa, in glaream ſcrupoſæque terræ naturam tranſierint, ſemen injectum deperit, nec a natura niſi magno labore reparatur: quod in Cereris errore repræſentatum. Quò tandem deventura foret relatè ad morum ſcientiam, & vitæ legem, hæc Poëtarum licentia, vel ipſi qui errori originem dedere Philoſophi, viderunt. Poëtarum enim carmina cauſſarum pars magna fuere, ob quas inferioribus demum ſæculis perierit apud multitudinem ſenſus omnis totius pæne honeſtatis, & fœdæ religiones, totque fuere vaniſſima commenta in Mundum invecta, & æternam timuerunt ſæcula mortem. Ipſi quidem etiam Gentilium Pontifices eadem erant cum Phi-

loſophorum ac Poëtarum ſententia, eorum enim è perſona ajebat Arnobius: (*) Qui dicit cum ſua concubuit Juppiter matre, non inceſtas ſignificat aut propudioſas Veneris complexiones, ſed Jovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat: Qui perhibet laſcivias eum exercuiſſe cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur, ſed pro imbris nomine ponit Jovem, in filiæ ſignificatione ſementem. Sic & ille, qui raptam dite a Patre Proſerpinam dicit: non vi Cereris turpiſſimos in appetitus viraginem dicit raptam, ſed quia glebis occulimus ſemina, iſſe ſub terras Deam, & cum Orco ſignificat fœdera genitalis conciliare fœturæ. Sed hæc, aliaque, ſecretiſſima erant Sacerdotibus myſteria, quorum non nucleus modo, ſed aliquando etiam ille cortex ab hominum vulgo, eorum ſententia, fuiſſet arcendus, ſola veluti Jovis, Neptuni, Junonis, Cereris, ceterorum prædicanda eſſent nomina Deorum, ut de eorundem actis, Germanorum more, credere mallent omnes, quam diſputare; unde nec exaggerandæ eorum complexiones eſſent ac coitus, & raptus, & furta, inceſtuoſique ac impuriſſimi, uti vide-

(*) *Lib. V.*

debantur, naturales ſcilicet ignes, quarum doctrina rerum, Poëticè circumveſtita, diſcrimen omne actus inter bonos ac malos videbatur aut omninò eripi, aut in dubitationis aleam revocari. Quare enim vituperandum duceretur in homine, quod in Diis illis adeò laudabant malè ingenioſi Poëtæ? Jovem enim fingebant, non in expugnanda modo fœminarum pudicitia maculoſum, ſed ſexui etiam ſuo facientem injuriam; quem tamen quum optimum dicerent, haud video tale cur nomen ab corruptoribus, ab adulteris, ab inceſtis abeſſe debuerit, aut, uti Vir olim ajebat magnus, (*a*) erraviſſent utique homines, talia qui perpetrantes ſceleratos vocaſſent ac perditos, omnibuſque pœnis digniſſimos judicaſſent: Stultus immò M. Tullius, qui C. Verri adulteria objecit, qui P. Clodio Sororis inceſtum; quum, Jovi, ut ajebant, optimo maximo eadem fuerit & Soror & Conjux.

XVII. Querebantur itaque ea de re Philoſophi apertiſſimè, uti Stoicus Balbus apud Ciceronem diſputator. Videtis ne igitur, inquiebat, (*) ut a Phyſicis rebus

 (Mun-

(*a*) *Lact. Lib. I.*
(*) *Lib. II. de Nat. Deor.*

(Mundi ſcilicet partibus, quas Deum conſtituere dixerat) bene atque utiliter inventis, tracta ratio ſit ad commentitios & fictos Deos? quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, & ſuperſtitiones pænè aniles; & formæ enim Deorum, & ætates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ; nam & perturbatis animis inducuntur: accipimus enim Deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec verò ut fabulæ ferunt, Dii bellis præliiſque caruerunt: nec ſolum ut apud Homerum, cùm duos exercitus contrarios alii Dii ex alia parte defenderent, ſed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gygantibus, ſua propria bella geſſerunt. Hæc & dicuntur, & creduntur ſtultiſſimè, & plena ſunt futalitatis ſummæque levitatis. Vera hæc omninò, ſed pejora tamen quæ Philoſophi inde & ſentiebant, & impiè propugnabant; ſubdit enim ſtatim Balbus: Sed tamen his fabulis ſpretis ac repudiatis, Deus pertinens per naturam cujuſque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi, qui, qualeſque ſint, quoque eos nomine conſue-

ſuetudo nuncupaverit, hos Deos & venerari & colere debemus. Athei itaque reipſa erant illius temporis Philoſophi, tametſi immanem illam de natura divina ſententiam ceteris non ducerent explicandam. Heinc Varro de Religionibus loquens, uti apud Auguſtirum legere eſt, (*a*) multa ajebat vera eſſe, quæ non modo Vulgo ſcire non eſſet utile, ſed etiam, tametſi falſa eſſent, aliter exiſtimare Populum expediret. Heinc & Haruſpicinam Reipublicæ communiſque Religionis cauſſa colendam cenſebat Tullius, verum eam in diſputatione negabat. Soli, inquiebat, (*) ſumus, licet verum exquirere ſine invidia. Heinc de natura diſputans divina, quæritur, ajebat, (1) primum ſint ne Dii, nec ne ſint; difficile eſt negare, credo, ſi in concione quæratur, ſed in ejuſmodi ſermone, & in conſeſſu facillimum. Itaque ego ipſe Pontifex, qui cæremonias Religioneſque publicas ſanctiſſimè tuendas arbitror, is hoc, quod primum eſt, eſſe Deos, perſuaderi mihi non opinione ſolum, ſed etiam ad veritatem planè velim; multa enim occurrunt, quæ conturbant, ut interdum nulli

(*a*) *Lib. IV. de Civ. Dei Cap.* 31.
(*) *Lib. II. de Divin.*
(1) *Lib. I. de Nat. Deor.*

nulli eſſe videantur. Latius illud patet in Cæcilii ſermone, quem apud Minutium Felicem habuit in Octavio. Quamquam, inquiebat, tibi Marce frater, de quo cum maximè quærimus non ſit ambiguum: utpote cum diligenter in utroque vivendi genere verſatus repudiaris alterum, alterum comprobaris: impræſentiarum tamen ita tibi informandus eſt animus, ut libram teneas æquiſſimi Judicis, nec in alteram partem propenſus incumbas: ne non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quam ex tuis ſenſibus prolata videatur: proinde ſi mihi quaſi novus aliquis, & quaſi ignarus partis utriuſque conſidas, nullum negotium eſt patefacere, omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa, magiſque omnia veriſimilia, quam vera: Quo magis mirum eſt, nonullos tædio inveſtigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temerè ſuccumbere: quam in explorando pertinaci diligentia perſeverare. Itaque indignandum omnibus, indoleſcendum eſt, audire quoſdam & hoc ſtudiorum rudes, literarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum, ac majeſtate decernere, de qua tot omnibus ſæculis Secta-

rum

rum plurimarum uſque adhuc ipſa Philoſophia deliberat : nec immeritò, cum tantum abſit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quæ ſupra nos cælo ſuſpenſa ſublata ſunt , neque quæ infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datum, aut ſcitari permiſſum , aut ſcrutari religioſum : beati ſatis, ſatiſque prudentes jure videamur , ſi ſecundum illud vetus Sapientis Oraculum , noſmetipſos familiarius noverimus. Sed quatenus indulgentes inſano atque inepto labori ultra humilitatis noſtræ terminos evagamur, & in terram projecti cœlum ipſum & ipſa ſydera audaci cupiditate tranſcendimus , vel hunc errorem ſaltem non vanis & formidoloſis opinionibus implicamus: ſint principia omnium ſemina natura in ſe coëunte denſata: quis hic auctor Deus? Sint fortuitis concurſionibus totius Mundi membra coalita, digeſta, formata: quis Deus machinator? Sydera licet ignis aſcenderit, & cœlum licet ſua materia ſuſpenderit : licet terram fundaverit pondere , & mare licet influxerit è liquore, unde hæc religio, unde formido, quæ ſuperſtitio eſt? Homo & animal omne quod naſcitur, inſpiratur, attollitur , elementorum id voluntaria concretio

eſt:

eſt : in quæ rurſum homo , & animal omne dividitur , ſolvitur , diſſipatur , ita in fontem refluunt , & in ſemet omnia revolvuntur , nullo artifice , nec judice , nec auctore ; ſic congregatis ignium ſeminibus, Soles alios atque alios ſemper ſplendere , ſic exhalatis terræ vaporibus , nebulas ſemper adoleſcere : quibus denſatis coactiſque nubes altius ſurgere : iiſdem labantibus pluvias fluere : flare ventos : grandines increpare : vel nimbis collidentibus tonitrua mugire : rutilare fulgura , fulmina præmicare : adeò paſſim cadunt , montes irruunt , arboribus incurrunt : ſine delectu tangunt loca ſacra , & profana : homines noxios feriunt , & ſæpe religioſos . Quid tempeſtates loquar varias , & incertas ? quibus nullo ordine , vel examine rerum omnium impetus volutatur , in naufragiis bonorum malorumque fata mixta , merita confuſa , in incendiis interitum convenire inſontium nocentiumque , & , cum tabe peſtifera cœli tractus inficitur , ſine diſcrimine omnes deperire : & cum belli ardore ſævitur , meliores potius occumbere . In pace etiam non tantum æquatur nequitia melioribus , ſed & colitur : ut in pluribus neſcias , utrum ſit eorum deteſtanda pravitas , an optanda felicitas .

citas. Quod ſi Mundus divina providentia, & alicujus Numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris, & Dionyſius regnum: numquam Rutilius, & Camillus exilium, numquam Socrates venenum. Ecce arbuſta frugifera, ecce jam ſeges cana, jam temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine cæditur: adeò aut incerta nobis veritas occultatur, & premitur: aut, quod magis credendum eſt, variis & lubricis caſibus, ſoluta legibus fortuna dominatur. Quamquam ſi philoſophandi libido eſt (ſubdebat Cæcilius erga Chriſtianos) Socratem ſapientiæ Principem, quiſquis veſtrum tantus eſt, ſi potuerit, imitetur, ejus viri, quoties de cæleſtibus rogabatur, nota reſponſio eſt: quod ſupra nos, nihil ad nos. Meritò ergo de Oraculo teſtimonium meruit prudentiæ ſingularis; quod Oraculum idem ipſe præſenſit, iccircò univerſis ſe propoſitum: non quod omnia comperiſſet, ſed quod nihil ſe ſcire didiciſſet: ita confeſſæ imperitiæ ſumma prudentia eſt. Hoc fonte defluxit Arceſilæ, & multò poſt Carneadis & Academicorum plurimorum in ſummis quæſtionibus tuta dubitatio, quo genere philoſophari & indocti poſſunt, & docti

glorioſe. Quid Simonidis Melici nonne admiranda omnibus & ſectanda cunctatio? qui Simonides cum de eo, quid, & quales arbitraretur Deos ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diem petiit: poſtridiè biduum prorogavit, mox alterum tantum admonitus adjunxit: poſtremò cum cauſas tantæ moræ tyrannus inquireret, reſpondit ille, quod ſibi quanto inquiſitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obſcurior. Mea quoque opinione, ſubdit, quæ ſunt dubia, ut ſunt, relinquenda ſunt: nec tot ac tantis viris deliberantibus temerè & audaciter alteram in partem ferenda ſententia eſt, ne aut anilis inducatur ſuperſtitio, aut omnis Religio deſtruatur. In Dei itaque cognitione ac cultu, quæ potiſſima juſtitiæ munera ſunt, miſerandum in modum errabant ii, qui miniſtri dicebantur veritatis atque ſapientiæ; eorum quippe varia alioquin dogmata atque mendacia, omnia tamen (quod facili negotio deprehendas) in tollenda pariter Dei providentia, & animorum immortalitate conſentiebant. Inter docendum intererat, quod impietatem hanc pauci palam & promiſcuè cunctis hominibus; alii (Bonziorum apud Japonios more) non-

Digitized by Google

nonniſi nobilibus atque in Philoſophia initiatis ex arcano traderent: vulgus & multitudinem Tartari metu in officio ducerent continendam. Philoſophi nempe aut de divina natura tunc temporis dubitare conſueverant, nullum ſcilicet animo dicere Deum, aut non alium, quam hanc naturæ infinitatem, non aliam naturæ legem, quam rationem, non aliud inferos, quam corpora mortalium: hoc animæ ſepulchrum, hoc Plutonis concava, hoc inferos intra ſe vocare, & omnia, quæ illic eſſe credidit fabuloſa perſuaſio, humanis in corporibus adſignare conati; oblivionis fluvium, nihil profectò aliud, quam errorem animæ obliviſcentis majeſtatem vitæ prioris: Phlegetontem, ardores eſſe irarum & cupiditatum; Acherontem, quidquid feciſſe, dixiſſeve uſque ad triſtitiam humanæ varietatis more nos pœnitet, Cocytum, quidquid homines in luctum lacrymaſque compellit: Stygem, quidquid inter ſe humanos animos in gurgite mergit odiorum: maleque conceptas Religiones cum naturali lege perperam confundentes, jus omne callidiorum inventum eſſe hominum; alii ſcilicet eorum, qui populis dominari ſolent, ut ea ratione Subditorum animos

tutioribus vinculis in officio continerent; alii è diverſo populorum; veluti adverſus Reges inductæ Religiones eſſent, ne ſcilicet abſque limite, abſque Judice, ac metu hi ceteris imperare ſe poſſe crederent, eoſque impunè lædere, quos coërcere poſſunt viribus, ac impotenti conditione fortunæ. Tot tantoſque peperit impiiſſimos errores oblita ſemel verax illa primorum hominum revelata traditio! Tantum ævi longinqua valuit mutare vetuſtas!

XVIII. Optimè igitur Tullianæ ille fons eloquentiæ, impugnatæ ſunt ergo, "inquiebat, (1) a prudentioribus falſæ religiones, ſed non eſt inducta vera; quia qualis, aut ubi eſſet, ignorabant. Itaque ſic habuerunt, tamquam nulla eſſet omninò; quia veram non poterant invenire; eodemque modo in errorem inciderunt multò majorem, quam illi, qui falſam tenebant. Nam & iſti fragilium cultores, quamvis ſint inepti, quia cæleſtia conſtruunt in rebus corruptibilibus, atque terrenis: aliquid tamen ſapientiæ retinent; & habere veniam poſſunt; quia ſummum hominis officium, etſi non reipſa, tamen propoſito tenent; ſiquidem

(1) *Lib. Div. Inſt. II. Cap. 3.*

dem hominum atque mutorum, vel ſolum, vel certè maximum in religione diſcrimen eſt. Hi verò quantum fuerunt ſapientiores, quod intellexerunt falſæ religionis errorem: tanto facti ſunt ſtultiores, quod eſſe aliquam veram non putaverunt. Itaque quoniam facilius eſt de alienis judicare, quam de ſuis: dum aliorum præcipitium vident, non proſpexerunt quid ante ſuos pedes eſſet. In utraque igitur parte & ſumma ſtultitia invenitur, & odor quidam ſapientiæ: ut poſſis dubitare quos dicas potiſſimum ſtultiores, illos ne qui falſam religionem ſuſcipiunt: an eos, qui nullam. Sed, ut dixi, venia concedi poteſt imperitis, & qui ſe ſapientes eſſe non fateantur: his verò non poteſt, qui ſapientiam profeſſi, ſtultitiam potius exhibent. Non ſum equidem tam iniquus, ut eos putem divinare debuiſſe, ut veritatem per ſe ipſos invenirent; quod fieri ego non poſſe confiteor. Sed hoc ab his exigo, quod ratione ipſa præſtare potuerunt. Facerent enim prudentius, ſi intelligerent eſſe aliquam veram Religionem, & falſis impugnatis, apertè pronunciarent, eam, quæ vera eſſet, ab hominibus non teneri. Sed moverit eos fortaſſe

taſſe illud ; quod ſi qua vera eſſet Religio exereret ſe , & vindicaret ; nec pateretur eſſe aliud quicquam. Videre enim nullo modo poterant, quare, aut a quo, & quemadmodum Religio vera opprimeretur : quod eſt divini ſacramenti, & cæleſtis arcani. Id verò , niſi doceatur , aliquis ſcire nullo pacto poteſt . Summa rei hæc eſt . Imperiti & inſipientes falſas religiones pro veris habent ; quia neque veram ſciunt , neque falſam intelligunt. Prudentiores verò , quia veram neſciunt , aut in iis , quas falſas eſſe intelligunt, perſeverant, ut aliquid tenere videantur : aut omninò nihil colunt , ne incidant in errorem : cum id ipſum maximi ſit erroris , vitam pecudum ſub figura hominis imitari . Falſum quidem intelligere, eſt quidem ſapientiæ, ſed humanæ. Ultra hunc gradum procedi ab homine non poteſt. Itaque multi Philoſophorum religiones, ut docui, ſuſtulerunt. Verum autem ſcire divinæ eſt ſapientiæ. Homo autem per ſeipſum pervenire ad hanc ſapientiam non poteſt, niſi doceatur a Deo. Ita Philoſophi quod ſummum fuit humanæ ſapientiæ aſſecuti ſunt, ut intelligerent quid non ſit: illud aſſequi nequiverunt, ut dicerent , quid ſit.

XIX.

XIX. Quid itaque mirum ſi tunc temporis nutabant adeò ceteræ illæ veritates, quas juris vocamus officia naturalis? Julium Cæſarem, quadam in ornatione, omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellavit Curio, & quale fuerit ejus cum Nicomede contubernium, ſatis oſtendebant carmina, quæ Gallicum per ejus triumphum, currum proſequuti milites, liberè jocularitérque canebant. (*a*) Octavium Auguſtum exercuiſſe adulteria, ne amici quidem negabant, excuſantes ſanè non libidine, ſed ratione commiſſa, quo facilius per cujuſque mulieres conſilia exquireret adverſariorum. Tiberii infanda luxuria, & avaritia, immanis tenacitas atque rapinæ, odium in matrem ceteroſque in conſanguineos, crudelitas ſumma, vitiaque infamia, nota adeò ſunt ac flagitioſa, ut pudeat memorare. Inceſta & cum pueris propudioſa commercia, Caligulæ erant veluti matrimonia. Poſt nefarium cum ea concubitum matrem interfecit Nero, Pythagoræ ipſe in modum ſolennium conjugiorum denuptus; quodque mirum magis, inditum imperatori flammeum, miſſi auſpices duo, & genialis to-

(*a*) *Sveton. Vit. Caſ.*

torus, & faces nuptiales, cunctaque demum ſpectata, quæ etiam in fœmina debuiſſet nox, ut ait Tacitus, (*) operire. Senatorum verò fœda adeò & ſordida erat in vitia Cæſarum adulatio, ut illos etiam, qui virtutem exercere nolebant, & quorum in gratiam demiſſi adeò erant, tam projectæ ſervientium patientiæ tæderet; omniaque ita eſſent a prioribus diverſa, ut Romanos in Romanis, degeneres adeò erant, inaniter quæſiviſſes. Nec id apud eos modò qui primevam ignorabant legem, ſed apud eos etiam, qui veræ adhuc traditionis lumine tenebantur. Luctuoſiorem ſcilicet efficiebat humani generis faciem Hebræorum natio, populus olim ſanctus, genus electum, veriſque imbutum principiis atque præceptis, inde a vetere ſtatu, atque innocentia delapſum, in quo hæreſes, & infandæ ſuperſtitiones, & adſcriptitia placita, & cetera tot invecta fuere mala, ruituræ mox Reipublicæ certiſſima indicia. Percrebuerat malo quoque fato, quod eam apud Gentem fuerat ſemper, adverſus omnes alios hoſtile odium, & inania erga idola vetitum ſtudium, fœdaque cum exteris commixtione tota a ſe flagi-

(*) *Lib. Annal. XV.*

flagitioſiſſimas abierat in conſuetudines, quibus irritum fecerat vetus illud æterni divini Numinis pactum. Ea omnia melioribus ſanè inſtitutis immutata demum fuere, renovata, inque humanum genus iterum inducta Adami, Noachæ, ac Moſis vetuſtiſſima traditione; quod in expectato tamdiù Chriſti adventu factum eſt. Proinde jure merito humanum ſe genus ſalutem Reparatori ſuo Dei Filio debere profitetur, qui nocte, quam pænè ſupremam habuit idololatria, veluti novum ſydus illuxit, quove præmoſtrante, exploſa ferarum gentium doctrina, rituque immani ac barbaro, veram Religionem edocti, ſummaque juris principia, humanitatem & verum Deum colimus, & quid quemque deceat noſcitamus. Hujus hercule novi Solis exortus lucem caliganti reddidit Mundo, quum ſine nova lege, vix vetus illa dignoſceretur. Quot ille tunc exſtinxit errores? quot evertit ſuperſtitiones? quantam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit? Perfectiſſima induci potuit, ejus ope doctrinæ, tres inter amores, naturalium operationum fontes, ordinata proportio, adque harmoniam revocari corporis ac mentis leges ac operationes. Jam non imagines ad-

fuere aut umbræ, ſed pulcherrimarum determinata præcepta atque exempla virtutum, noviſque inductis fœderibns, vetera innocentiæ atque felicitatis ſæcula redierunt. Eam utique, aut ſimilem morum ac imaginem virtutum apud eos invenire non poſſumus, qui humana modo ab ratione ac mente, aut ſuapte natura præcepta didicere fortitudinis atque conſtantiæ. M. Tullius multa quidem præclarè & egregiè de patientia, de contemtu adverſæ fortunæ diſputare noverat, exilium tamen illud ſuum ubique diutiſſimè deplorat, & ſui temporis calamitate lamentandi mollis, & propemodum effœminatus apparet. Caſus etiam ereptæ ſibi per mortem filiæ ita eum perculit, & afflixit, ut neque lenire & mitigare dolorem, neque luctum minuere poſſet. Ulyſſes, qui ab Homero pro exemplari virtutis & patientiæ proponitur, toties itineris ſui difficultates, ærumnaſque varias acerbiſſima quærimonia deflet. (*a*) Æneas, quo non fortior, neque conſtantior alter a Marone deſcribitur (ſi tamen fortem atque inſignem pietate virum eum dicendum arbitremur, qui ob judicium Paridis, ſpretæque injuriam formæ,

(a) *Alcion. de Inf. Lit.*

mæ, qui ob rapti Ganimedis honores, tot legimus conatum ſubire caſus, tot adire labores) ſæpe tamen altum corde dolorem premit, ſæpe idem irarum fluctuat æſtu, & humanæ conditionis incommoda humano modo concipitur ingemiſcere. Connubiales leges, & ſumtuarias tulit civibus ſuis Sylla, quum ipſe interim amoribus & adulteriis indulgeret, nec juvenis libidines refrenaverit ab inopia, nec ab ætate ſenex: (*a*) Interque recentiores Anonymus Auctor egregius, veterum ſtipatus undique teſtimoniis, ſuperſtitioſorem hominum, fallacioremque ait fuiſſe Pythagoram; infami Ariſtidem licentiæ deditum; voluptuoſum Socratem, idololatriæ, peſſimorumque ſtudioſum hominum: hypocritam Platonem, ſuorumque ipſum oſorem præceptorum, vanum Senophontem inaniſque gloriæ impotentiſſimè cupidum; impium verò Stagyritam, & gulæ vitio immaniter laborantem; irriſorem ſimul cultoremque divinitatum inanium Dionem; Atheum Photionem, cui ſalus populi ſuprema unaque lex & vivendi ratio; prætuliſſeque humana divinis, mortalia immortalibus Timoleonem; Catonem Cenſorem infa-

(*a*) *Plutarch. in Sylla.*

Digitized by Google

mem fuiſſe, avarum, crudelem, ſuperbum; huncque Uticenſem ſuperaſſe ſuperbia, ſuperaſſe audacia, hiſce ſuperatum ipſum ab Apollonio; Uxoris denique licentiæ infami ac impotenti conniventia M. Aurelium patientem. (*) Seneca Stoicorum ille acutiſſimus, vitiorum deſcriptor veriſſimus, acerrimus accuſator, opumque contemtor, immenſas tamen congeſſit, & locupletiſſimus fuit, ſeque ſuper caſu ſuo ita conſolatus eſt, ut ſuperbum ubique oſtenderit animum, eaque uſus oratione fuerit, ut dum aliqua ratione ſuum perrexerit lenire dolorem, miſeram corriperetur in deſperationem. Quid enim a conſolatione alienum magis, quam inexuperabilis fati neceſſitas, & latentiſſimarum coacta complexio cauſſarum, unde vel inordinatos effectus, adverſus vim rationemque naturæ, imperturbatus triumphare debeat animus, æternamque infra ſe ducere providentiam? Aſt contra, uti longe è diverſis, ita fortioribus ex finibus ſe ſuper infortuniis ac malis conſolari ſolent ii, qui veram ſequuntur traditionem. Ut enim apud iſtos hoc eſt immenſæ indicibiliſque ſapientiæ Dei argumentum, ita rerum omnium cauſſas diſpo-

(*) *Hiſtor. Phil. Pag. Hage 1724.*

ſpoſuiſſe, & aliarum ex aliis ductum, ut quum nullæ liberæ cauſſæ deliberandi detrahat, atque intelligendi perfectiſſimam ac liberam facultatem, omnia tamen ſint futura, ea ratione, qua ſuaviter ille ac ſapientiſſimè diſpoſuit, quæ eſt altitudo divitiarum ſapientiæ ac ſcientiæ Dei: ita dum hujus aliquando, aut diuturnis premuntur vitæ malis, venturam reſpiciunt ad immortalitatem, æternaque ad gaudia, ad perennem illam virtutis retributionem atque conſtantiæ. Brutus equidem tantum juſtitiæ tribuere viſus eſt, ut filios ſuos, qui bella concitarent in populo ſeveriſſimè occideret; Aſt non vicit in eo, qui juſtus reipſa fuiſſet, dulcis, uti Poëta ait, amor Patriæ, ſed potius laudum immenſa cupido; illuſtres ſcilicet videbantur aliquando veterum inter Gentes aliquorum animæ, quod tamen non ſpecie aliqua raperentur ſemper, umbraque virtutis, ſed impotenti potius gloriæ cupiditate, nimium enim mortalium animos mentemque perurit laudis amor, & gloria: heinc pauci Curii, pauci Camilli, atque Fabricii, multi licet Bruti, Manlii Torquati, Syllæ, Cæſares, atque Pompeji. Immò uti Populus ille ſpecioſis honorum atque glo-

gloriæ imaginibus agi neutiquam poterat, fortiter ideo inter Gentes operari numquam viſus eſt ac generosè. Illi è diverſo, apud quos aut integra fuit, aut reparata traditio, legi utpote addicti non ſanctiſſimæ modo, ſed & auctoritati conjunctæ, pro virtute pati, immò mori fortiter potuerunt, non Proceres modo atque Pontifices, ſed populares etiam atque gregales; unde tot glorioſa facinora atque certamina ſervorum etiam, fœminarum, ac puerorum. Adeò verum eſt animam eſſe veræ virtutis renovatam per Chriſtum traditionem. Neque ii modo, qui jure Chriſto nomen dedere, quorum & cognitio ad altiſſima, veriſſimaque elata eſt: myſteria, legem ſortiti ſunt perfectiſſimæ ſocietatis, verum lucem illam clariſſimam veritatis in tenebris quoque modo lucere conſpicimus, illuminareque omnem hominem in hunc Mundum venientem; nam & longè diſſitæ gentes, traditionis ope, juſtitiam amplexæ ſunt ac æquitatem; quæque occœcata adhuc eſſe voluit Synagoga, non amplius tamen adeò in idololatriam propenſa: non amplius de bonorum ac malorum finibus diſſentientes inter ſe Philoſophorum catervæ, ſed & apud Ma-
hume-

Digitized by Google

humedanicæ ſuperſtitionis homines naturalem ſaltem legem, ſummaque illa juris principia, non veritate modo, ſed voluptate mentes animoſque regere conſpicimus, integraque contemplamur, atque undique reſtituta.

XX. Hæc ea erant, Poline Abbas humaniſſime, quæ per otium olim, & ad fallendum honeſtiſſimè tempus, placidè diſputata, ut aliqua inde ratione conſcriberem, poſtulaſti. Hoc verò ſi non ſecundis avibus, ac proſperè minus actum ſit, id non ingenii modo mei tenuitati, aut exiguæ Librorum, qua nimium laboro, ſuppellectili, verum etiam immenſæ tantarum rerum tribue amplitudini. Philoſophicis ſiquidem agentes de rebus perpetuò errare, aut ceteris diſplicere ſaltem, proclive non dicam, ſed neceſſe omninò eſt. Nam qui conlectas heinc inde veritates nullo conſtrictas nexu ſua quaſcumque ſub imagine exhibent, in illud certè incommodi impingunt, ut ordine, methodo ac fine carere videantur, Lectoris iccircò mentem invita Minerva, ac improbo prorſus labore fatigare. Contra qui non inter ſe adeò connexas, aut longè inter ſe diſſitas veritates unam aliquam

con-

contrahunt ad rationem, ſimplexque ex illis ſyſtema conflare, aut eas vinculo copulare aliquo conantur, magnis frequentiſſimè vapulare ſolent ingeniis, quod univerſum, quo de agunt, ſubjectum arctiſſimos intra limites inde continere coacti ſint, totamque Scientiæ alicujus amplitudinem pauciſſima aliqua generalia ad principia revocare: maximum, eorum ſententia, aut erroris, aut ſaltem levitatis indicium. Utinam verò hæc ſola fuiſſent, quæ animum aliquando meum ab hujuſcemodi ſcribendi genere retraxerunt. Majora utique obſtabant. Quam enim impervium, quam operoſum eſt hiſce noſtris in regionibus votis hominum reſpondere! Obſoleta ſi comminiſci audeas, meritò ab omnibus irrideris; Si de vulgatis dicas, ac omnium conſenſione receptis, ſtomachum moves atqne faſtidium; Si denique nondum audita referas, continuo fit res plena metu, res plena tumultu; invidiamque ciere paras, odium, cenſuras, calumniam, contumelias. Sed fac demum in eam Te jure erigi poſſe ſpem, ut publico ſapiant palato; jam nova in obſtacula impinges, quorum querela, uti vetus, ita ſupervacanea in præſens eſt. Alter itaque ſit oportet laboris Hercules

atque

Digitized by Google

atque conſtantiæ, qui tot ac tanta ſtudiorum infortunia diù valeat ſuſtinere. Nonnullos apud Populos (cetera ut omittam) vel mediæ ſortis homines eſſe litterarum gaudent dulce decus & præſidium. Eædem apud nos pupillæ omninò ſunt; quum tamen aliquos ſi haberet eorum ſimiles Italia, noſcerent profectò ii, qui alio ſub cælo vivunt, quantum Italicis in animis virtutum ſint atque ſcientiarum ſemina, quæ excuſſa profectò atque exculta, erumpere demum poſſent ac fœliciter albicare. Ut enim illa, quæ terra fovet, aut è ſupera regione depluunt, infrugifera tandem ſunt, nullo ſi gaudeant ſolari radio, cujus impulſu leniter eorum agi occulta vis poſſit: ita ea, quæ in animis deliteſcunt hominum, in apricum proferre modo poſſunt honeſtæ pacis umbræ cum Mœcenatum ſplendore atque potentia conjunctæ. In hujus autem cognitionem veritatis (uti ajebat Vir doctus) inducere quemque poteſt ſuperiorum temporum recordatio, quibus omnis Italiæ majeſtas Barbarorum incurſionibus & perpetuis bellis ferè perierat; & tamen quum minus opis homines expectarent, inſperato paucorum Principum in literas ſtudio, repentè quaſi de

cælo lux exorta; nubes diſpulit, & reliquias antiqui ſplendoris ita exſuſcitavit, ut pace mortalibus comparata, & ſcientiis atque doctrinis, quæ in exilium actæ videbantur, quaſi poſtliminio reverſis, ſuo ornamento reſtituto ad veterem & priſcam illam dignitatem hæc ipſa Provincia, reliquarum omnium longè princeps, eſſe revocata putaretur. Sed neſcio quonam fato eſſe factum quærar, ut quum artibus ingenuis honor non mediocris, & locus eſſe in Urbibus cœpiſſet, omnia ſtatim retrò labi, iterumque reſtingui viderentur; nam & maximi Reges bella ciere, & alios aut adfinitate, aut amicitia, aut metu ſibi adjungere, ut alter alterius regnum occuparet, viciſſim ſtudebant. Inde ſcientiis, quæ ad ſummum pervenire gradum properabant; hæc objecta res effecit, ut omnia vocibus militum perſonarent: heinc neglectæ diſciplinæ: heinc hominibus aliqua in arte præſtantibus nullus honos habitus: heinc denique mala omnis generis exſtiterunt. Verum quod majorem rapere in admirationem poſſit, illud profectò eſt, aliquem ſcilicet vix eſſe opibus atque potentia præſtantem, qui videri, non idem velit eſſe ſe ad gloriam natum, quum

omnes

omnes tamen in ſapientes doctoſque viros non illiberales modo ſint, unde jaceant neceſſe demum eſt tot, ac tam nobiles Diſciplinæ, neque mirabiles ciere valeant ſui ardores, verum etiam virtutem eorum, qui diù noctuque in pulvere verſantur literario, exiſtiment penſi quicquam facere minime poſſe ad immortalitatem nominis conſequendam. Qua quidem in re toto illi cælo aberrare, ac de ſuis ipſorum rationibus perniciosè meriti eſſe mihi videntur. Nam ut ſilentio tegam quantum vitæ commodis, animi bonis, atque humanæ tandem felicitati tribuat hominum illud in Literas ſtudium; una Scriptorum eſt opera, quæ nos a vitiis redimere, claritate gloriæ honeſtare, ac nominis immortalitate ipſis penè Diis valeat æquiparare. Forma, robur, divitiæ, ut verbis utar ingenioſi Scriptoris, brevi tempore dilabuntur. Virtus abſque teſtimonio, effertur cum funere. Signa, tabulæ, inſana ædificia, & ceterà manuum opera, vetuſtati omnia parent. At monumenta literarum nulla unquam fata, nulla dies obliterat; & quoad fuerint humana, ſtare quoque ea neceſſe eſt. Jam aut probi ſunt ii, qui in ſublimi honorum atque dignitatum faſtigio

poſiti ſunt, aut nequam. Quid verò probis jucundius atque optabilius accidere poſſit, quam gloria famæ pollere, nulli mortalium ignarum degere, celebritate nominis æternitatem æquare, ac virtutis inluſtri exemplo de univerſo humano genere in perpetuum benemereri? Improbis autem quid magis ex uſu, quam ſua malefacta vel taceri, vel minui, aut etiam in contrarium verti, & pro benefactis quandoque haberi? Multa & præclara facinora Lacedæmonii, Athenienſes, & cetera Græcorum natio patravere; ſed polita Scriptorum volumina in manus ea procul dubio extulerunt; & fide aliquando majora, ut pro veris tamen haberentur, eloquentiæ vi effecerunt. Abſque Homero eſſet; quis Nelidæ facundiam, Pelidæ ferociam, Laertiadæ noviſſet prudentiam? Abſque Virgilio; nec tam pius Æneas, & patriæ fortaſſe proditor haberetur. Abſque Zenophonte; quis Cirum ita crederet inſtitutum? Abſque tam multis; quis adeò felicem, ac tanti virum pectoris Alexandrum? E' contrario verò, nec tam imbelle Medicum genus, nec Trojanis anteſtatum virtute ab Græcis, nec Ilium ab illis everſum pro comperto fortaſſe haberemus; ſi, qui res eorum

rum dixere, a parte ſtetiſſent Barbarorum. Penelopen domeſticus vates a probri infamia vindicavit: Eliſam externus adulterii theſaurum fecit. Adeone Buſiris, Phalaris, Dionyſius, Nero immanes fœdique, ac monſtra hominum haberentur, ſi cetera flagitioſiſſimi, ab doctis dumtaxat viris aliquid gratiæ iniviſſent? Ne multis; Potentum omne divitumque decus una ope nititur literarum. Ridebat itaque merito ſua in Argenide Barclajus illorum cæcitatem, qui non curant a literis eam laudem impetrare, quæ eorum voluptatibus opibuſque ſuperſtes ſit, & quam niſi avidè ambientibus concedi non oportet. Nam, inquit, (*) ut Eruditi non placent, qui pretio conducuntur, ut extollant immerentes, ita æquiſſimos puto, qui non dignantur ſuis præconiis faſtidioſam ſuperbamque virtutem, aut denique ignaram quantum ſibi literarum favore præſtetur.

F I N I S.

(*) *Lib. I.*

ANT 1317702

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XVII
E 8